



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate  
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ  
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De  
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de  
Lugduni, 1664**

Disput. Prooemialis. De subsistentiæ, ac personalitatis essentia,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)



# DISPUTATIO PROOEMIALIS.

DE SVBSISTENTIAE, AC PERSONALITATIS

Essentia.



TRIVSQVE Mysterij tomo hoc nostro examinandi exacta notitia, exactam etiam subsistentiae, & personalitatis notitiam supponit. Cum enim personae tres, vnaque essentia, & subsistentia in Trinitatis Mysterio tenenda Catholicè sint: Contrà verò in Mysterio Incarnationis vna persona, duplèxque natura dogmaticè asserenda: quid subsistentia, & personalitas sit, quòve ab indiuidua natura substantiali differat præmittere necesse fuit, vt vtriusque Mysterij inconcussæ, atque inconfusæ veritates Catholicæ persistant. Et quamuis res hæc apud Physicos, & Metaphysicos sæpè disputetur; nescio an sede hîc propriori? Etenim, cum ex duplicis huius Mysterij veritatibus reuelatis, atque ex iis, quæ pro illis ab hæreticorum oppugnatione vindicandis, Patres & Concilia docuerunt, subsistentiæ, ac personalitatis ratio præcipuè indaganda sit, commodius in hac Theologiæ parte quam in Philosophia, vtriusque, & à natura distinctio, & essentia statuatur. Itaque præambula hac disputatione quidquid de subsistentia, & personalitate dubitari potest à capite, vt aiunt, ad calcem definietur. Primò igitur distinctionis inter naturam, & subsistentiam, dignoscendæ occasionem aperiemus, atque suppositi, & personæ definitiones dabimus. Secundò quid suppositum, vel persona supra naturam substantialem addat exactè discutiemus. Tertiò subsistentiæ; & personalitatis subiectum examinabimus. Quartò de necessitate subsistentiæ, deque eius cum alia, siue propria, siue aliena, oppositione, ac de causa ipsius efficienti statuemus.

## QVÆSTIO PRIMA.

De occasione distinctionis subsistentiæ, & personalitatis à natura dignoscendæ, ac de suppositi, & personæ definitione.

**R**ES hæc tota ex controuersis Patrum cum Nestorio, & Euthychete statuenda erit. Sed oportet primò subsistentiæ, & hypostasis voces, earumque, & etymologiam & acceptiones proprias explicare.

### CERTAMEN I.

Subsistentiæ, & hypostasis voces, earumque usurpatio.

**I**PRæmittere oportet statum controuersiæ Patrum cum Nestorio, & Eutyche: quæ certe in eo primum non fuit, an persona ab indiuidua natura rationali differret? Sed an in Christo duplex inconcussa natura perseveraret. Nam ex vnione physica vtriusque nullatenus vtramque naturam inconcussam perseverare posse vterque supponebat. Inde Euthyches Monachus, Presbyter, & Constantinopolitanus Archimandrita, vt à suo Episcopo Nestorio (cuius erroris in

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

Concilio Ephesino resisterat) discederet, vnionem Verbi physicam cum humanitate admittens carnem à Verbo assumptam in Deum conuersam assereret tandem in Concilio Constantinopol. eius verò affectu ex vtraque natura tertiam vnionis beneficio conuari, neutra scilicet in se manente, aiebant; vt refertur in edicto fidei Iustiniani Imperatoris tom. 2. Concilior. Ex eis autem nonnulli, licet vtramque naturam manere docuerint, mixtam tamen & confusam intelligebant: quemadmodum in mixtione corporum euertere plures censent. Ita refertur in actis Concilij ..... generalis. Nestorius verò cum suis vnionem physicam Verbi ad humanitatem assumptam negabat, solumque morale assumptionem ipsius per vnionem affectiuam ad humanitatem admittebat.

**2** E contra Patres initio solum contendebant vnionem physicam Verbi ad humanitatem in Christo fuisse sine naturarum confusione: eamque à Nestorio admitti, vt pax Ecclesiæ foret, optabat Cyrillus in actis Conc. Ephes. & scripsit ad Imperatorem, & Regiuas. Postmodum verò disputationum successu, cum Patres vnã tantum in Christo personam recognoscerent, Nestorius, & Euthiches eodem assumpto principio pro suo quisque errore Patres vexabant: nempe quod natura rationalis singularis idem prorsus, quod suppositum & persona esset. Hinc Eutyches pro se arguebat. Natura singularis nihilo à persona differt: sed persona vnica tantum est in Christo per vos: ergo vnica tantum in Christo est rationalis natura: Nestorius contra sic pro suo errore discurrebat. Per vos est duplex natura rationalis in Christo: ergo & duplex persona:

A quando

quandoquidem hæc ab indiuidua rationali natura non differit. His argumētatiunculis Patres constanter negabant idem esse personam atque naturam rationalem singularem: vt videre est in Ioanne Maxentio dial. 1. Anastasin Duce via c. 6. Leont. Rustico Diacono tom. 6. Bibliot. disp. contra Acephalos, Theodoro Episc. Carisfensi tom. 9. Epiphani. Diacono tom. 3. Concil. Synod. 7. gener. act. 6. §. Nequaquam, Basl. epist. 43. de different. vsq; & hypostasis, Theodor. dial. 1. immutabilis column. 1. Nyssen. de differ. essentia, & hypostasis initio; ac demum in Concilio Ephesino canone 3. definitur non mansisse in Christo duas subsistentias, sed vnicam tantum.

3 Porro subsistentia, seu suppositum in tota sua latitudine à Græcis accommodato vocabulo, hypostasis dicta est. Quæ vox essentiam quandoque significat: vt ad Hebr. 1. *Figura substantia*, seu hypostasis essentiam intelligunt Concilium Ephes. & Athanas. orat. 5. contra Arrian. sub initium, aliisque locis scietiam explicans illud Hierem. 23. *Si stetit in hypostasi mea*: sicut, & Epiphanius hæresi 69. sol. penult. Marius Vict. lib. de *homo vsu* recipiendo sub initium, tom. 4. Bibl. Concil. Sardic. quæ Catholicum, epist. synod. 3. longè à medio, aliique Patres. Quandoque subsistentia veram, nec apparentem solum, rei existentiam denotat apud Arist. lib. de mundo ad Alexandrum, apud Leont. de sectis scholæ sect. 7. post initium tom. 4. Bibliot. Dionys. de diuin. nom. Nonnumquam accidens etiam significat: vt ad Hebr. 3. Gratiam, illis verbis: *Si tamen initium substantia eius*. Vbi originalis habet hypostasis. & cap. 11. *Fides dicitur sperandarum substantia*, seu hypostasis verum. Quæ omnia, atque plura accidentia hypostasis ab Apostolo dicta sunt. Adde tandem apud Irenæum Grammaticum in suo Dictionario, & apud Sozomenum 5. Hist. Eccles. cap. 11. hypostasis à medicis pro resum fluidarum sedimento vsurpatam esse.

4 Primus igitur hypostasis pro supposito vsurpator egreditur Hispanus Hosius Cordubensis ab Imperatore Constantino Alexandrinam synodum contra Arrium missus. In qua, & in Nizena, vt inutilis, & indigna ea vocis acceptio reiecta scribitur à Nicephoro 10. Hist. cap. 15. fortè, quia in sua rigorosa significatone naturam potius substantialem, quam suppositum significare videbatur: vt docent Epiphanius, Marius Victor. & Hieron. ad locum citatum Hierem. & hic quidem refert pro se Septuaginta interpretes ibi, & Theodotio nem: quibus consonare videntur Concil. Sardicense citatum, Liberius Papa, epist. ad Athanas. post expositionem fidei Athanasij in noua editione Conciliorum. August. 5. de Trinit. cap. 8. circa fin. & lib. 7. cap. 4. init. Cyrill. epist. 3. ad Nestor. anathematismo 3. tom. 1. Concilij Ephesin. cap. 14. circa finem, Fulgentius de Incarn. & gratia prædictum anathematismum vertens, & tandem Philosophi omnes tempore Socratis, & Nicephori. Idcirco grauissimi Patres tres hypostases in Trinitate exhorrebant, ne tres substantias in Trinitate crederentur asserere. Hi vero sunt Paulinus Thesal. Acacius Vehor. Episcopi, Hieron. epist. 57. ad Damasum. med. ac locis proximè dat. Augustinus. Cæterum Patres omnes hypostasis tandem pro subsistentia, & supposito accipientes in Christo Domino hypostasis vnam, duas autem substantias, & naturas professi sunt: contra verò in Trinitate naturam, & substantiam vnam, tres verò hypostases, supposita, & personas planè admiserunt, vt ex dicendis infra constabit apertè. Et de Cyrillo quidem constat ex Rustico Diacono disp. contra Acephalos, vbi plurima eius loca ad rem hanc inducit. Insuper & Anathematismo 3. & 4. vbi hypostasis pro persona expressè accepit. In loco autem opposito solum curat damnare Nestorium, qui vnionem physicam, & realem inter Verbum, & Christi humanitatem negabat.

5 Sed age iam: videamus quanto iure, & proprietate hypostasis subsistentiam, siue suppositum, & personam significet. Illa enim omnia, quæ hypostasis significari quandoque retulimus, analogata sunt minus præci-

pua indiuidui substantialis, seu personæ, quæ rigide, & propriè hypostasi significatur, vt singula expendent ostendemus. Sed prius tamen aliqua breuiter ex Patribus referemus, quibus ratio, ob quam primarid suppositum, & persona hypostasi significetur, elegans, & perspicua traditur. Boëtius de duabus naturis longè à principio sic ait: *Ideo hypostases Græci indiuiduas substantias vocauerunt, quoniam cæteris subsunt: & quibusdam, quasi accidentibus supposita, & subiectis, eque sunt.* Elegantius adhuc Nizetas lib. 2. cap. 25. *Quæ indiuidua Peripathetici vocare solent, ea Doctoribus scholasticis placuit appellare hypostases. Hypostases verò dictæ sunt, quia in his genera, & species, quæ circumscripta non sunt, quasi pedem figunt.* Vtriusque ergo ratio est: Indiuiduum substantiale propriissimè esse, & dici hypostasis, seu suppositum: quia hypostasis significat fundamentum, quod existit in se, & quo reliqua sustentantur: cum autem indiuiduum substantiale in nullo sit metaphysicè, vt genus, & species, neque physicè, vt accidentia: atque insuper species, & genera in ipso sint, pedemque metaphysicè figant; accidentia verò ipsi physicè insint, sit planè, vt hypostasis propriissimè de indiuiduo substantiali dicatur. Inde etiam constat cur per analogiam existentia, essentia, & substantia hypostases dicantur: quia scilicet passionum, & accidentium, ac reliquorum, quæ ipsis adueniunt fundamenta sunt. Fides item, & gratia ita appellantur, quia nimirum ipsis spiritualis, & supernaturalis vita tanquam fundamentum innititur. De fluidorum sedimento constat hypostasis dici ob eandem rationem.

6 Quod de nouitate vocis ex præcis, eiusque deteriores, iuniores hæretici oblatrant, lenis est ponderis. Tum quia post mille tringentos annos, à quibus recepta apud Patres, & Ecclesiam ea vox fuit, plus iusto exiit nouitatem: tum etiam quia cum res significata noua non fuerit, non est vocis nouitas simpliciter, quam Apostol. 2. ad Timotheum condemnat. Sed neque à Nizena Synodo reprobata fuit: cum in hoc sensu ea voce synodus vtatur, vt constat ex eius Symbolo apud Cyrill. 1. Dialog. de Trinit. Synodus etiam Alexandria, cui præfuit Athanas. vsq; seu substantiam, & hypostasis alio, & alio sensu vsurpandas ait. Eamque vocem amplectuntur Epiphanius, Marius Victor. & Hieron. ad locum Hierem. ad Sabellij hæresim consultandam teste Rufino lib. 1. cap. 15. qui est liber 10. Hist. Ecclesiastica Eusebij, Sozomenus 5. historia cap. 11. relato in tripartita lib. 6. cap. 10. sine. Teste denique Nicephoro supra citato. Vnde, quod hic aiebat, hypostasis, nempe hoc nostro sensu, reiectam ab Alexandria Synodo fuisse, & indignam habitari à Nizena, de suo temere addidit iuxta aliquorum sententiam, qui in Alexandria Synodo eam initio respuerunt. Quanta verò necessitas distinctionis inter vsam, & hypostasis fuerit, notata videtur ab Aristot. vel eius cotæneo auctore libri de mundo ad Alexandram, qui inter Aristotelicos extat, vt refert Ruiz de Trinit. disp. 3. sect. 2. n. 6. Imo & notatum vult à Paulo epist. ad Hebr. cuius commentatore Græco, qui vel Sanctus Lucas, vel Sanctus Clemens existimatur. Insuper à Dionysio 1. de diuin. nom. ante med. aiente: *Trinitatem propter tris hypostatos, &c. post med. Propter principalium personarum: & rursus, vnaqueque personarum Græcè habetur Hypostaseon.* De huius vocis in Ecclesia antiquitate legatur Nyssen lib. de hoc argumento, Basl. epist. 43. licet autem hypostasis vocem ex Græcis Patribus videantur refugisse aliquando Dionys. Damasc. de Decret. 1. inquit. c. 1. meliusque *personam* dici docuerint: ideo fuit, quia nec Deum substantiam dici volebant, sed super substantiam: ne accidentibus subesse (à quo substantia primitus dicta est) Deus putaretur: eodemque metu hypostasis renebant Boëtius, & Anselm. Augustinus verò 5. de Trinit. c. 8. sine, & c. 9. eam recusauit, quia substantiam in vsu frequentiori significare arbitrabatur: libro autem 6. cap. 8. liberum Græcis hypostasis vsum relinquit pro persona: quam aptius tamen ab eis *personam* dicendam ait à Boëtio lib. de duabus naturis longè ab initio edoctus. atque ex illis

illis sic loquuntur Magist. in 1. d. 23. cap. quod enim, & S. Thom. 1. p. q. 29. art. 3. eorumque commentatores eadem de causa vocem hanc detractare visus, & Hieronymus. Qui tamen cap. 9. epist. 17. de expositione fidei ad Damasum, alias c. 4. epist. 9. subiicit his, eam admittit. *Nam enim nominatum modo, sed etiam nominum proprietates, id est, personas, vel, ut Greci expriment, hypostasas, hoc est, substantias consistuntur.*

CERTAMEN II.

Hypostasis ad personam restrictio, atque utriusque definitio.

EX dictis constat hypostasim in sua stricta significatione supposita omnia substantialia, etiam irrationalia comprehendere. Quo sensu Damasc. 2. de decretis primæ instituit. aiebat: *Singuli boues hypostasas sunt.* Tamen ad rationalis naturæ suppositum significandum ex aliorum omnium Patrum vsu restricta ea vox fuit, ut notauit Boët. lib. de duabus naturis versum. cuius restrictionis rationem his verbis assignat: *Quare autem de irrationalibus animalibus Græci hypostasim, non dicat, sicut nos de eisdem substantiæ nomen predicamus, hæc est ratio: quoniam nomen hoc meliori applicatum est.* Nempe excellentiori supposito. Quam rationem explicans S. Thom. ait: *Maiorem excellentiâ suppositi rationalis in eo esse; quod non solum per se in essendo sit, sed etiam in operando: quia nimirum rationalia indiuidua non aguntur naturæ, aut alterius cuiuspiâ necessitate, sicut irrationalia; sed seipsa agunt, ac per se ad operandum determinant, cum dominio scilicet suarum operationum.* Id quod pro vera substantiæ, & personalitatis explicatione accuratè obseruandum est: Vnde sit ex Patrum vsu hypostasim idem significare, quod tunc persona. Significat autem hæc vox non quodcumque suppositum, substantiæ uel nature quamuis, sed tantum rationalis nature; quidquid tamen, nec nimirum ab errore distans Grammaticus Valla neget. *elegantiarum cap. 34.* Traducta autem vox persona, fuit teste Boët. lib. de duabus naturis longe ab initio: *Ex iis personis, que in comadiis, tragediisque eos, quorum interest, personas representabant.* Comædij enim eorum, quos agebant larbis faciebuique pictis, quæ propriissimè persone, seu *prosopa* latine duntur, rectè vehementius grandiori voce personabant, qua forte de causa Matth. 22. & 2. Corinth. 1. persona pro facie usurpatur. Inde procurator clientis persona quam in iure representat, cuiusque nomine litem agit, dici consuevit. Sic Hispanè: *Pedro por persona de Iuan mi procurador, pareço y digo, &c.* Et rursum: *Iuan como Procurador de Pedro mi parte y en su nombre.* Quia scilicet Procurator litigatorem representat: hic autem actionum, quæ in lite, etiam sua, fiunt regimen, & dominium non apud se, sed apud procuratorem habet in iure.

2. Opportunè ad rem hanc aduocabitur acuta Petri VVadingo obseruatio disputat. 4. de Incarnatione dubio 2. §. 5. num. 37. ubi refert egregia hæc Paschasij verba secundo de Spiritu sancto cap. 4. *In Christo persona personam consumpsit, quia persona res iuris est.* Ex quo peructo, & doctissimo Patre sepe à Gregorio Magno citato rationem desumpsit Francfordiense Concilium. Arguentis siquidem hæretico nil indiuiduæ naturæ humanæ, ac proinde neque humanæ personæ potuisse à persona uerbi uita ipsi in Christo consumi: quia substantia indiuidua per unam ad aliam indiuiduam substantiam destrui nequit: quare duas in Christo esse personas, æquè, atque duas naturas, sic responderit Concilium: *In Deo homine gemina substantia, sed non gemina persona est: quæ persona personam consumere potest; substantia uero substantiam non potest: siquidem persona res iuris est substantia res nature.* Neque audiendus est Bernal disputat. 13. de Incarnatione sectio 1. §. 1. Illud: *res iuris*, explicans de iure & debito naturali, R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino:

quo substantialis modus per citatis substantiæ debeatur. Siquidem, quæ ita naturæ iure debentur res sunt, & dicuntur naturæ. Secundo: quia si modus ille substantia, & substantialis sit, licet naturæ debitus non consumetur per unionem alterius ad ipsum iuxta Concilij, & Paschasij approbatam rationem: quod substantia substantiam consumere non possit. Nec magis refert, quod hic author addit: eam nempe rationem non esse à Concilio approbatam: quemadmodum neque à septima Synodo approbata fuit ratio illa à quodam eius Synodi Patre data ad probandum Angelos depingi posse: quia scilicet corporei essent. Nam ratio hæc audita tantum à septima Synodo fuit, quæ illaque potius, quam approbata; in nostro uero casu omnino à Concilio approbata censenda est. Idcirco eius rationis robur, utriusque profundiori meditatione, sagaciorique indagine, uestiganda inferius à nobis est.

3. Nunc autem, quia de supposito in communi, pro ut irrationalia coërcet, nihil fere à Patribus dictum est, sed solum de speciali supposito rationali, scilicet persona, huius definitiones ex Patribus proferendæ sunt; ut inde de supposito, & substantia in communi firmum aliquid, quod definitur habeamus. Celebris autem, & receptissima est definitio Boëtij lib. de duabus naturis post init. sic aientis: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia.* Inferiusque: *Naturæ rationalis indiuidua substantia.* Quam definitionem amplectuntur Patres citati certam. Anselm. in Monolog. cap. 76. post medium dicens: *Persona non dicitur nisi de indiuidua rationali natura.* Nyssen. de different. essent. & hypostal. supposita indiuidua substantialia uocat, species uero naturas. Ac libri sine. *Hypostasion naturarum, substantiarum, siue substantiarum indiuiduarum discretionem*, sic etiam Basil. epist. 42. post init. Athanas. dial. 3. de S. Trinit. contra Anomæ med. ferm. in Euang. de SS. Deipara tract. de definitionib. Iustinus exposit. fidei de Trinitate uersus med. Chrylost. hom. 5. de incomprehensib. Dei naturæ, Tharastus Constantinopolit. Concilio Nicæno I. gener. 7. profess. fid. sub init. Epiphani. hæresi 73. med. Cyrillus Alex. 1. dialogor. de Trinit. med. Theodoretus dialog. 7. mutabilis 1. col. 1. & additionib. breuiarij libertati c. vlt. 2. concilior. edit. antiquit. Damascenus de decretis 1. institutionis cap. 2. lib. 3. de fide cap. 4. init. Nazianz. orat. 21. de laudib. Athanasij col. penult. orat. 32. ad 150. Episcopos post med. Elias Cretens. in eius orationem 1. num. 24. & in orat. 23. num. 29. Anastas. Theopolit. & Cyrill. Alex. compendiarie exposit. fidei uersus med. Theorianus lege ad Armenos col. 4. Epiphanius Diaconus 7. Synodo gener. act. 7. circa finem §. *Æquæquam*, t. 3. concil. Hugo Etherian. 1. de hæresis c. 11. & 12. qui omnes specie & quidquid singulare non esse naturam; indiuidua uera substantialia supposita dicunt.

4. Cæterum Nazianzenus, Elias Cretensis, & reliqui post ipsos citati substantiam, siue personalitatem; aut personam appellant collectionem accidentium cuiusque indiuiduo substantiali propriam: nimirum edocti à Porphyri. cap. de specie, ubi indiuiduum definit: *cuius collectio proprietatum nunquam est in alio eadem:* Ac proinde personam in collectione accidentium, seu proprietatum collocare tantumdem est, atque in substantia indiuidua constituere. Constat inde quanto iure Iustinianus Imperator in edicto fidei approbato à Vigilio Papa dixerit: *Sancti Patres constanter nos docent aliud esse naturam, siue substantiam, & aliud substantiam, siue personam: & naturam quidem hoc, quod est commune significare, personam uero hoc, quod est speciale.* Quibus consonat Florent. sess. 18. sub medium §. *diuina substantia*, definiens substantiam à persona differre ut communicabile ab incommunicabili, & ut à proprio commune. Prædictam personæ definitionem, scilicet, *rationalis naturæ indiuidua substantia*, defendunt Scholastici omnes ad unum Hugo Victor. 2. de Sacrament. p. 2. c. 11. uel. fin. tract. 1. erudit. summ. Theolog. c. 9. post med. Magister in 3. d. 5. ubi S. Bonauent. 2. 2. q. 2. ad argumenta & in 1. d. 25. ubi & S. Bonauent. 1. 1. q. 2. ac reliqui interpretes. S. Thom. 1. p. q. 29. art. 1. q. 75. a. 4. A 2. finè

fine, Alex. Alen. q. 13. m. 3. Albert. q. 44. m. 2. Scot. in 1. d. 25. totaque & ipsius, & Thomistarum schola.

5 Licet autem Scotus dist. 15. q. vnica §. ad questionem, eam videatur impugnare, quia infertur inde animam separaram esse à persona: Tamen, neque id aliqui absurdum reputant; neque inde inferri existimant plures: & tandem Scotus ipse à formali subsistentiæ significato in prædicta definitione explicata nullatenus discordat; licet non satis explicari existimet nomine naturæ substantiam totalem, quam ex parte subiecti connotat formalitas subsistentiæ, & personæ, de quo quaestio- nibus sequentibus. Ricard. etiam Victor. ab hac receptissi- ma definitione nonnullis recessisse videtur 4. de Trinit. cap. 21. obicit enim naturæ diuinæ absque personalitati- bus consideratæ eam definitionem conuenire: cum ipsa secundum se substantia indiuidua rationalis sit. Verum, cum cap. 23. initio suæ obiectioni respondeat naturam diuinam à personis præcisam perfectè indiuiduam non esse, cum sit ipsis communicabilis, à communi defini- tione posita non recedit: quin potius incommunicabi- litate illa, quam ad suppositum, & indiuiduum substan- tiale necessariam admitti, particulam definitionis Boëtij *indiuidua substantia, explicat magis, quam impugnat.* Hinc constat definitionem personæ, quæ ex eodem Ricardo 4. de Trinit. cap. 17. fine cap. 18. 22. & 23. tanquam diuersa circumfertur, eandem profus esse cum communi defini- tione, quam ex Boëtio recitauimus, recipiuntque omnes. Sic enim habet definitio Ricardi: *Rationalis na- turæ incommunicabilis existentia: existentia: quippe nomen- sistentiam e vel ex sine extra alium* in Ricardi phrasi si- gnificat, vt disp. 6. de Trinit. q. 1. cert. 1. ex ipso monstra- bimus. Quod ipsum, si rectè intelligatur, nihil aliud est, quam ratio perfectæ, atque adæquatæ indiuiduationis, & singularitatis.



## QVÆSTIO II.

*Quidnam substantia supra naturam singu-  
larem addat?*



DEFINITIO data subsistentiæ viuam dif- ficultatem sub vnum ponit obitum. Cum enim Verbum naturam humanam, non communè quidem, & indiuiduatione præ- cisam, sed singularem, & indiuiduam assump- serit, sicut indiuiduum substantialis naturæ in Christo permansit, ita etiam humana persona, quæ iuxta defini- tionem datam, nihilo ab indiuiduo substantiali differt, videtur in Christo permanere. In explicanda ergo diffi- cultate proposita, ac recepta personæ definitione totum præsentis quaestiois negotium est.

## CERTAMEN I.

*Præcorum hac de re opiniones confutata.*

1 **D**VRANDUS in 1. dist. 27. q. 1. n. 3. & dist. 25. q. 1. & 2. num. 4. dist. item 34. q. 1. Hentius quod 1. 4. q. 4. asserunt naturam indiuiduam, & suppositum, siue per- sonam ex parte rei obiectæ non differre; addere tamen personam, siue suppositum supra naturam indiuiduam tantummodo diuersum modum concipiendi, siue secun- dam intentionem rationis. Contra: quia, cum secunda rationis intentio modusque noster concipiendi rebus prohibito nostro ponatur, auferaturque ex cuiusque arbitrio pendebit concipere in Christo Domino perso- nas duas. Non refert, si dicas id nullatenus cum funda- mento in re fieri posse. Si enim ex parte rei obiectæ sup- positum & persona idem ipsum, quod natura indiuidua substantialis est, quin aliquid aliud, siue positium, siue negatiuum ad personam addatur, quandiu indiuidua na-

tura substantialis manet totum fundamentum concipiendi suppositum & personam, illudque ens rationis concipiendi ex parte rei obiectæ manebit. Ad hanc sen- tentiam proximè videtur accessisse Bannez 1. p. q. 29. a. 3. d. d. dicens: *Veritatem fidei, quod assumpsit* (scilicet Ver- bum) *naturam singularem, & non suppositum, optime posse de- fendi cum sola distinctione rationis inter naturam & suppositum:* pro quo refertur Magister Victoria Barthol. Medina 3. p. q. 2. art. 2. Ledesma 1. p. q. 4. Alphonsus Salmer. tom. 2. tr. 27. dicens: *Reuersa sola ratione distinguuntur natura, & supposi- tum.* Licet hunc id tantum sentire existimem, quod Pa- tres supra docebant de distinctione naturæ communis ab indiuiduo. Thomistas vero, qui de natura singulari & indiuidua expresse loquantur argumento factio contra Durand. facile quibus refellet.

2 Secunda sententia docet indiuiduum, vt persona sit, addere supra naturam singularem proprietatum, & acci- dentium quæ in nullo alio sit collectionem. Sic censet Valla citatus q. 1. cert. 2. atque August. Nif. nec displicet nostro VVadingo §. 4. fundatque in modo loquendi Patrum, quos dedimus cert. 2. n. 4. fine. Sed enim, vt bene ibi notauimus. Patres non assignabant pro formali & primaria distinctione personæ à natura singulari eam accidentium collectionem, sed pro indiuiduationis sig- no in qua quidquid positum, & intrinsecum persona dicit putabant supponi, vel continens: Quare nihil his Doctoribus Patres citati fauent. Virgo: *Quia Verbum naturam humanam singularem cum omnium proprietatum collectione, quæ in alia non sit, assumpsit:* ac proinde iuxta hunc philosophandi modum natura humana Christi vnica Verbo persona remaneret. Contra tertio: quia vel ea accidentia pertinent intrinsecè ad indiuiduam substantiam, vel non? Si pertinent; ergo, cum Verbum indiuiduum naturam rationalem assumpsit, ea etiam assumpsit accidentia: ac proinde personam assumpsit contra Patres & Concilia: si non pertinent, etgo persona, & suppositum non est indiuidua substantia, contra defini- tionem personæ. Contra quarto: quia accidens nequit esse constitutum substantiæ: sed persona adæquatè substantia, & quid substantiale est: ergo nequit colle- ctione accidentium constriui.

3 Tertia sententia Thomistarum ait subsistentiam, seu personam addere modum, seu entitatem quandam realiter à natura singulari distinctam, quæ sit, vel ipsius existentia, vt volunt Capreol. Egid. Palud. & alij, vel in- te- essentiam, & existentiam naturæ indiuiduæ entitas media, vt censet Caiet. Bannez & Ferrari relati à Ca- brera 3. p. q. 4. art. 2. Cæterum opinio hæc communi ra- tione impugnatur: quia, vel modus, seu entitas ista est extra indiuiduum naturam, vel non? Si non est, ergo est in humanitate Christi: ac proinde in Christo supposi- tum; & persona humana erit: Si est extra indiuiduum na- turam: ergo persona non est rationalis naturæ indiuidua substantia. Contra secundò: quia existentia re ipsa nulla- tenus ab essentia differt. Contra tertio: quia neque dari natura particularis in rerum natura terminans actionem sui productum, quin in se existat intrinsecè; sicut sua entitate intrinseca terminat actionem, & extra causas ponitur; alioqui dari posset actio circa non existentia, & solum possibilis: ergo humanitas Christi, in se habet intrinsecam existentiam, ac proinde modum illum exi- stentiæ, vel præuium, vel identitatum: quare, & erit persona creata, & rationale suppositum in Christo. Denique, cum subsistens, qua tale, sit existens perse, nequit intelligi, quo pacto natura sit prius realiter exi- stens per se, quam sit formaliter existens, siue quia formaliter existat, vt volebant Thomistas secundi.

4 Quarta sententia, vt vulgò putatur, Scoti locis datis cert. 5. quam plures ibi seclatur, docet subsistentiæ ratio- nē vniuersim conspici negatione vnionis naturæ singu- laris ad aliud suppositum. Hanc sententiam inefficaciter satis impugnât plures. Sic ego refello, primò: quia expli- cat subsistentiæ rationē per se ipsam, circulo nimirum vi- tioso, vt contra alios virgebo cert. 2. n. 3. Contra secundò: quia si subsistentia vniuersim ea negatione complectur:

ergo

ergo substantiæ diuinæ ea etiam negatione comple-  
tur. Vnde infero primò: ergo Verbum vnium nature  
humane non subsistit. Patet: quia habet vnionem ad na-  
turam substantialem, cuius negatione constuebatur  
substantia Verbi. Infero secundò, nullam esse in Chri-  
sto personam, quod æque, atque primum hæreticum  
est. Dices vnionem ad naturam non esse vnionem ad  
suppositum. Contra: quia vnio positiua ad negationem  
esse non potest ergo vnio possibilis, cuius negatione  
constituitur suppositum, & cuius positione perit, non  
potest esse ad negationem qua completur suppositum,  
sed præcisè ad naturam. Respondere posses pro Scoto  
diuinæ substantias positiue completi secus creatas.  
Sed in primis Scotus generaliter loquitur de omnibus:  
Secundò in creatis adhuc satis vexabitur. Cum enim as-  
ferat naturam creatam aliena substantia creatâ termi-  
nari posse, idque debeat fieri vnione ad suppositum  
alienum, non apparet quo pacto ad negationem vnio-  
nis, in qua ratio suppositi consistit, possit vnio esse; si  
autem vnio ad naturam satis sit, vt ratio suppositi deficiat,  
quæ in eius vnionis negatione stabat, neutra substantia  
ex duabus vnitis subsistere poterit: quare terminatio,  
creatæ nature per alterius creatæ substantiam erit  
contra Scotum impossibilis.

CERTAMEN II.

Celebris, & vulgatissima opinionis Recentiorum  
confutatio.

**I** Ob aliquas ex datis contra præcedentes modos  
impugnaciones celebres nostro sæculo opinio  
inualuit: asserens substantiam supra indiuiduum natu-  
ram addere substantialem modum realem perfectitatis,  
quo vltimo terminetur natura, atque in esse substantiæ  
compleatur, reddaturque positiue independens ab alio  
tanquam à supposito. In hac opinione primò, & solum  
ex antiquis inuenio Argentinam; ex Recentioribus au-  
tem omnes. Vasquez 3. p. d. 31. c. 6. Suar. disp. 34. metaph.  
sect. 4. Valent. 3. p. q. 4. punct. 2. Fonseca 5. metaph. cap. 3.  
q. 4. Rubius n. r. phisic. tract. de mat. q. 4. Ruiz de Trinit.  
disp. 32. sect. 5. num. 13. Zunnigam de Trinit. disp. 15. dub. 8.  
n. 2. Albertin. de prædicamento substantiæ cap. 3. q. 7.  
Petr. Hurtado. disput. 11. metaph. sect. 36. Arriag. disp. 4.  
sect. 11. sub sect. 2. Ouiedo. controu. 6. metaph. punct. 2. §. 3.  
Varie tamen sunt huius opinionis explicandæ viæ, quæ  
auctores in plures, quasi lemitas diuertunt, quas tribus  
certaminibus præcludam. Generaliter autem sic omnes  
quasi à capite impugno. Primò: quia hæc sententia Boë-  
tij, Patrum, & Scholasticorum receptissimam definitio-  
nem personæ deserit; cum præter substantiæ indiuiduæ  
rem, & rationem entitatem aliam realiter diuersam ad  
suppositum constituendum adsciscit. Contra secundò:  
quia sine isto modo superaddito sola entitate indiuiduæ  
substantiæ, & negatione vnionis ad aliud, seu depen-  
dentia ab illa in sua existentia intelligitur indiuiduum  
substantiale per se, seorsim, atque independentem ab alio  
substantiali indiuiduo: ergo, vt sit per se, & independen-  
ter, ac seorsim ab alio modo superadditus superfluit.  
Dices modum illum debere assignari ad saluandum my-  
sterium Incarnationis, ad defendendam in Christo sup-  
positi diuini vnitatem in duabus naturis. Præcludetur  
satis effugium hoc, cum nostram proponamus senten-  
tiam: quibus enim constabit, quam facili negotio sine isto  
superaddito modulo veritatem duarum naturarum, &  
vnus suppositi in Christo, & à Patribus olim, & nunc à  
nobis defendi queat.

**2** Dices secundò: indiuiduam naturam sine isto mo-  
do esse per se negatiuè, non positiuè: sicut quantitas sepa-  
rata Eucharistiæ sine modo perfectitatis, vice vnionis  
ad subiectum, per se negatiuè est, non positiuè. Contra,  
primò: quia modum superadditum quantitati Euchari-  
stiæ impugnat æquè argumentum. Contra, secundò: quia  
petit solutio principium. Nam esse per se positiuè, est  
habere eum modum: sed ex eo quod ad independentiam

ab alio tanquam à supposito, vel indiuiduo sufficit ne-  
gatio vnionis ad illud, contenditur non esse necessa-  
rium modum positiuum: ergo diu respondetur neces-  
sarium esse, vt sit per se positiuè redditur conclusio pro  
ratione. Confirmatur: quia, vt vna sit per se, & seorsim  
ab alia, satis est existentia vnæ, & negatio vnionis ad  
aliam: ergo, vt indiuiduum sit per se, & seorsim ab alio  
præter eius existentiam, & negationem vnionis ad aliud  
requirit nihil. Confirmatur secundò: quia, vt subiectum  
non sit album inferes male in eo esse nigredinem, vt  
non sit album positiuè: quia, facta etiam impossibili ni-  
gredine, sola ablatione albedinis subiectum non esset  
album: ergo superflue inducis modum perfectitatis in  
substantia, vt non sit alij vnita, seu coniuncta, sed seorsim  
ab illa, & per se: siquidem factò impossibili modo  
perfectitatis sola ablatione vnionis ad aliam esset substan-  
tia non vnita alteri, per se, ac seorsim ab illa. Dices ter-  
tiò: Sicut ad hoc, vt accidens Eucharistiæ sit separatum  
à subiecto non sufficit, vt deficiat passio, quæ depende-  
bat ab illo, sed requiritur alia actio, qua independens à  
subiecto consistat: ita, vt substantia indiuidua seorsim ab  
alio sit, non sufficit negatio vnionis ad illam, sed requi-  
ritur modus positiuus perfectitatis. Contra: quia actio po-  
sitiua quantitatis separata à subiecto non requiritur, vt  
separata existat, sed vt existat in se: quatenus influxus  
passiuus subiecti necessarius, & connaturalis ad existen-  
tiam quantitatis suppletur concursu actiuo Dei maiori:  
non secus, ac quando recedente igne, cum quo Deus  
simul calorem produxerat, vt se solo conseruet, maiorem  
adhibet concursum Deus. Quod si quantitas concursu  
solo, & eodem Dei, quo simul educabatur ex subiecto,  
sufficeret in se existeret, per negationem passionis  
subiecti diceretur independentem à subiecto existere, at-  
que in eo genere esse per se.

**3** Tertio: non communicari, inherere, aut terminari  
alia substantia indiuiduam substantiam, cum adest illi  
substantia propria, & effectus negatiuus, & secundari-  
us: ergo alius primarius, & positiuus assignandus est ab  
his, qui substantiam in modo positiuo constituunt: nam  
effectus primarius formæ positiuæ negatiuus esse non  
potest, licet talis possit esse effectus secundarius: vt patet  
in forma equi, quæ primariò constituit equum, licet secun-  
dario aliarum formarum substantialium negationes  
in materiam inducat: ergo nulla substantia assignari  
potest præcisè, vt non constituatur aliud suppositum  
cum natura, quam afficit, siue, vt hæc non sit in supposito  
alio quin imò hoc satis causaretur ex impossibilitate  
substantiæ omnis positiuæ: sicut ex impossibilitate formæ  
leoninæ satis esset, vt materia non subefferet formæ  
leoninæ. Impugno quartò: quia modus ille perfectitatis  
non satis explicatur adhuc negatiuè quid sit. Nam si ex-  
plicetur per independentiam ab alio tanquam à suppo-  
sito incurritur apertus circulus. Erit enim substantia,  
siue modus ille perfectitatis modus constituens indiui-  
duam naturam incommunicabilem, seu positiuè ex vnita  
alteri supposito: nempe, quod habeat modum, quo  
indiuidua ipsius substantia constituatur incommunica-  
bilis, seu ex vnita alteri habenti modum similem: ergo  
modus iste explicatur per seipsum.

**4** Si dicas cum Suar. reddi per illum substantiam in-  
communicabilem, etiam subiecto: dum incommunica-  
bilitatem supposito non excludas circulum in ea parte  
non vitabis. Contra secundò: quia incommunicabilitas,  
seu independentia à subiecto de facto est in humanita-  
te Christi, in qua nulla formalitas substantiæ propriæ  
remanet, sed Verbi personalitate suppleta fuit. Dices  
eam independentiam positiuam à subiecto modi perfecti-  
tatis suppleri per dependentiam à verbo, cui vnitur hu-  
manitas. Contra: ergo admittis influxum, & personalita-  
tis propriæ in naturam paradoxæ, & verbi in humanita-  
tem periculosè. Hinc contra tertio: dependentia, & com-  
municatio alteri, vt subiecto nequit respondere huma-  
nitati Christi respectu verbi, à quo per Suar. influ-  
xu materiali non pender: ergo eius independen-  
tia ab alio tanquam à subiecto, neque aboleretur,

nec suppletur per vnionem ad Verbum. Contra quartum: quia dependentia à subiecto formaliter est causalitas, & passio præcedens existentiam naturæ substantialis: ergo nequit esse complementum. Et vltimus terminus existentie naturæ illius, vt ais de modo illo perfectatis, quem, cum modum, & terminum naturæ indiuiduæ asseras, nequis pro priori naturæ ad existentiam substantialis naturæ collocare: quare neque naturæ substantialis existentiam ab eo dependentem asserere. Contra quintum: quia dependentia à subiecto est accidens: ergo independentia positua quam subsistentiam vocas, cum contrariè opponatur dependentiæ, accidens esse debet, non modum substantialis, vt asseris.

5. Contra sextum: quia in Suar. opinione dantur partiales subsistentiæ, ex quibus totalis integratur: ita vt, cuius parti compositi substantialis, cuiusque pars subsistentiæ in eius opinione respondeat: ergo formæ materiales, immo, & earum vnio ad materiam, sicut partiales subsistentiæ sunt, partialem habebunt subsistentiam: atqui formæ materiales non solum non habent negationem dependentiæ ab alio tanquam à subiecto, sed potius habent posituam dependentiam à subiecto: ergo, vel subsistentia in independentia, seu incommunicabilitate alteri, tanquam subiecto non consistit, vel non dantur subsistentiæ partiales. Denique materia, & rationalis animus, qui sine dubio creantur, sine modo positio perfectatis, & subsistentiæ superaddito à subiecto independent: ergo eiusmodi independentia ab altero tanquam subiecto effectus subsistentiæ non est. Hæc ferè omnia nostrum Augustinum Bernal, etiam in eo dicendi modo, quo se ab illis receperat, tangunt. Ait enim disp. 12. sect. 1. §. 1. n. 9. & 11. subsistentiam esse modum, quo esse substantiale completur, non vt cumque, sed constituendo cum natura substantiali concretum substantiale, v.g. homo, leo, &c. Sed si inquiras, quidnam homo, leo, & similia concreta substantialia supra naturam addant, aicit vltimo complere substantialiter naturam constituendo suppositum seu personam altero ex modis explicato: siquidem ex parte rei obiectæ homo ab humanitate, vt suppositum à natura differet: quo hic auctor incidit tandem in alios modos explicandi subsistentiam pluribus à se, atque à nobis non paucioribus impugnat. Sed de eius sententia dabimus plura certamine quarto.

### CERTAMEN III.

*Cardinalis noster Ioannes de Lugo impugnatus.*

1. Cardinalis de Lugo disput. 12. de Incarnat. sect. 3. n. 37. docet omni entitati creatæ annexum esse indigere aliquo, vt sustentaculo: hoc autem in accidenti, cum debilioris entitatis sit, esse modum essendi in alio ente completo; substantia vero accidenti opposita, licet sustentaculo egeat, non autem adeo fortè, scilicet entis alterius completi, sed ad summum materiæ, quæ, vt formam præcedit, non est hoc aliquid, ensve completum. Habet autem hoc sustentaculum substantia, vt potè perfectioris entitatis, per simplicem emanationem à se ipsa, ac proinde per se sustentatur, cum non sustentetur per aliquod ens extraneum: quare sui ipsius ens est, non autem entis alterius ens, sicut accidens. Ex illo autem modo, & sustentaculo, tanquam secundarius effectus, oritur incommunicabilitas alteri sustentanti: ita, vt nec diuinitus sic affecta natura, eiusve partes aliis naturis, vel compartibus vniri queant. Hanc opinionem refert ex aliis Petrus Vadingo disp. 4. §. 2. qui rem exemplo quercuum, & leguminum explent. Ille quippe propter suum robur sine fatigatione se sustentans; hæc vero sine alterius adminiculo sustentare se nequeunt: quare hæc accidentium debilitatem, illa vero constantiam imitantur substantiæ. Contra, primò: quia, vel modus iste educitur, vel

creatur; creari non stat cum emanatione à substantia ipsa, quæ, partialiter adhuc, creare principaliter nequit omnium sententia, imò, & instrumentaliter in plurimum opinione. Educitur ergo, estque dependens ab alio: ergo nequit dare effectum formalem existendi per se naturæ, quam afficit: nil enim dat formaliter quod in se non habet, vt ad rem hanc iam pridem arguebat Rubion. Dices esse per se, vt quo, illum modum licet per se non sit, vt quod: sicut diuina processio identificata cum Patre, vel Paternitate non procedit vt quod, licet sit id, quo Verbum procedit, quia solum est procedens vt quo. Bene: ergo non est opus, vt modus iste perfectatis sit formaliter substantia. Patet id, quod non est formaliter per se, potest esse constitutum formale substantiæ, seu naturæ, vt per se sit: ergo, quod per se non est substantia potest esse constitutum substantiæ, siue substantia vt quo, licet sit accidens, & non substantia, vt quod. Si dicas effectum naturæ completæ esse effectum formæ intrinsecè se communicantis, & se ipsa constituentis substantiam: quare formam eiusmodi substantiam esse debere, vt quod: idem dicam de modo constituyente suppositum, seu naturam per se: est quippe forma se ipsa constituens substantiam completam, & per se, quare, nisi ipsa per se sit, nequit suppositum, seu substantiam per se constituere.

2. Hæc generatim contra modum perfectatis vrgent. Contra specialiter secundò: quia natura indiuidua Petri, vel Angeli de se habet ita esse in se, & per se, vt non possit vniri alteri indiuiduo: ergo non habet id per modum superadditum. Respondet Lugo: naturam indiuiduam de se habere non vniri alteri naturaliter: modulo autem perfectatis habere non posse alteri vniri adhuc supernaturaliter. Contra primò: quia natura indiuidua Petri de se ipsa ita est per se, vt nec diuinitus possit vniri naturæ indiuiduæ Pauli: vulgo enim vnio duarum naturarum iudicatur impossibilis. Sed, quoniam vulgari huic iudicio non acquiesco, contra secundò. Positis etiam modulis possunt diuinitus vniri naturæ eadem, imò supposita ipsa constituta ex naturis & modulis perfectatis; alioqui ostende, precor, maiorem implicationem in vnionibus modorum, & suppositorum, quam in vnione duarum naturarum, si potes. Etenim, vel vnio, & perfectas tua se habent vt habitus, & priuatio? & hæc est sententia Scotistarum tuæ opposita: vel, vt duo modi positui, & oppositi? & hoc, vt luminam probat alterum alteri negationem in natura, quam afficit exigere: cum autem vterque à Deo liberè in sui effectione, & consuetudine pendeat, ecquid Deum prohibebit exigentiæ modi perfectatis non annuere, & vnionem simul producere, vel simul cum modo perfectatis conferuare? Vrgo in natura diuina, quæ de se ita est per se, vt inuincibilis sit alteri ad componendum, quatenus præcedit suas personalitates; illis autem vnibilis sit ad componendum cum natura creata, vt in Verbo Incarnato patet teste Lugo. Respondet tamen hoc probare contra omnes naturam diuinam præcisam à personalitatibus esse personam. Sed de se suaque sententia curet: in nostra enim nullatenus aliquid, quod obstat, probari constabit certè. Respondet ergo naturam diuinam præcisam à personalitatibus esse per se radicaliter, non formaliter: sicut omnipotentia, licet non sit ignorantia, aut mutationis capax, tamen per se non est formaliter immissa, seu omnificia, sed per immissitatem, & omnificientiam formaliter ab ipsa diuersa. Contra primò: quia erroris, & mutationis incapacitas, quæ est in natura, vel omnipotentia formaliter sumptis, non datur illis ab omniscientia, & immissitate, licet effectus illi formales omniscientis, & immissæ tribuantur ipsi: ergo ad eam incapacitatem tribuendam nequit assignari pro forma aliquid formaliter ab omnipotentia, seu natura diuina diuersum: atqui tota ratio suppositi, & personæ stat in hoc, quod substantialis natura habeat fundamentum posituum inducens incommunicabilitatem, seu negationem capacitaris essendi in alio: ergo, cum hoc habeat de se natura diuina præcisam per te, certe id à personalitatibus non habet.

3 Contra secundò: quia natura diuina non ita est per se, & vltimo terminata personalitate, vt reddatur incommunicabilis alteri supposito, seu composito suo modo, à quo, & in quo suo modo sustentetur, ergo subsistentia ratio non fiat in ea terminatione, qua ita per se reddatur substantia, & natura, vt nequeat esse in altero supposito, vel composito. Antecedens patet: quia natura diuina subsistens personalitate Patris non est incommunicabilis identice personæ, ac personalitati alij: quinimo ea personalitate natura diuina fit positiuè communicabilis personis, Filij primùm, atque exinde Spiritus sancti. Dicit aliquis primò naturam diuinam posita personalitate non esse communicabilem alteri personæ per vnionem physicam. Sed hoc impugnatum proximè est: nam eam incommunicabilitatem per physicam vnionem, ad personam habet de sese natura diuina à personalitatibus præcisa. Contra secundò: quia incommunicabilitas, quam habet ad intra natura diuina, & quæ respondet communicabilitati, per physicam vnionem nature create, est communicabilitas identicè, ac proinde hanc auferre deberet personalitas diuina à sua natura: sicut à natura create autetur communicabilitas alteri vnione physica, per personalitatem in tua sententia. Contra tertio: quia personalitate diuina redditur potius natura diuina communicabilis per physicam vnionem, vt patet in Verbo Incarnato. Dices non esse communicabilem alteri, vt supposito. Præclufi hoc supra. Contra secundò: quia, si suppositi ratio in solo positiuo consistat, etiam in creatis non ostenditur implicatio vnionis ex parte suppositi, vel creati, vel diuini, vt supra etiam vrgebam. Respondebis secundò: tres subsistentias diuinas esse adæquatam terminum nature diuine, sicut vnica est terminus adæquatæ nature create. Contra tamen est: quia viam munis ad negandas tres personas adæquatas, & completas in diuinis, vnique tantum admittendam non sine errore. Nam persona adæquata, non nisi adæquata subsistentia, & personalitate nature constituitur: vt patet in subsistentiis partialibus animi rationalis, & materie, quarum neutra sola personam adæquatè constituit, non solum ex defectu totalitatis subiecti, sed etiam totalitatis formæ, & personalitatis. Respondet Lugo sect. 4. per subsistentiam ita fitti in se, & per se naturam, vt non sicut in alio: cum quo, inquit ille, non pugnat, quod pluries modis pluribus sicut in se: sicque contingere in diuina natura. Contra: quia per se subsistentia ita per se constituit naturam, vt ipsam sufficienter, & adæquatè sustentet, si adæquata sit, atque vltimo terminet in esse substantiali: sed cum hoc pugnat, quod alterius egeat sustentaculo; aut termino: siquidem prima subsistentia Patris non esset adæquatam & sufficientem sustentaculum, vltimusque terminus nature, atque (vt tuis verbis loquar) murus, ne vltimus natura progrediatur.

4 Vrgeo denique: quo perfectior est substantia, eo maioris constantiæ erit, paucioribusque fulcris egebit in tua doctrina: sed substantia diuina immensè perfectior est creatis: ergo paucioribus fulcris, quam creata egebit, vt sustentetur: ergo vnica etiam subsistentia satis superque sufficiet sustentatur per te. Atque hinc vniuersaliter euertitur totus horum Recentiorum discursus: quia, si ratione debilitatis maioris accidentium datur fulcrum inhaerentiæ, siue receptionis in alio, atque ob robustiorem entitatem substantiæ negatur ipsi inhaerentia, tunc receptio in alio, daturque illi esse in se, & per se: ita etiam hoc debet substantiæ dari, vt per suam entitatem, non autem per modum superadditum adhuc ab ipsa emanantem, in se, & per se existat. Nam, si eger substantiali fulcro, vt sustentetur, non minus illi innititur, atque ab illo sustentatur, quam si ab alio sustentaculum præberetur: sicut nec claudus, ac debilis homo fortior

existimari debet, cum baculo proprio, quem ipse fecit, innititur, quam cum alterius baculo, aut brachio sustentetur. Hoc ipsum suadet Recentiorum exemplum quamuis nimis crassum de arbutis, & leguminibus. Quòd vero ad discrimen sustentationis accidentium in alio ente completo, non autem formæ substantialis attinet, nominis tantum discrimen est. Nam siue pars, siue totum sit, cui entitas accidentalis, cuique substantialis innititur, atque vtrique innititur, estque in alio, siue vnitivè, siue receptivè: quare Aristot. & Philosophi penes inæqualitatem essendi in alio, siue receptivè, siue vnitivè eas formas non distinxerunt, sed quia accidentia sunt in alio, & non vti pars, id est, vti componens totum substantiale, sicut formæ substantiales componunt. Adde formam accidentalem, neque vnitivè, neque recipi physicè in toto, sed in materia prima, vt contra Thomistas politior philosophia iam tenet. Solum ergo sunt accidentia in toto denominatiuè, & prædicatiuè, quia de toto composito prædicantur. Denique esse per se, & esse in alio sunt differentiæ nature substantialis completæ in esse nature, & nature accidentalis, non autem suppositi, & non suppositi differentiæ: quare male inde differentia suppositi substantialis à natura indagatur.

CERTAM. IV.

Petri Vadingo, & Augustini Bernal opinatio subuertitur.

1 Noster Petrus Vadingo de Incarn. disp. 4. dub. 3. §. 3. atque August. Bernal disp. 12. de Incarn. à §. 2. docent modum perfectiatis nature indiuiduæ ad personam additum esse independentiam in suo fieri ab alio supposito. Ad id autem supponit vterque actionem, qua res ab alio dependens producit, esse vnionem rei ad ipsum. Hinc aiunt Christi humanitatem personam non esse, quia producta est dependenter à supposito Verbi, cui actione eadem qua fiebat formaliter vniebatur. Probant primò plurium Scholasticorum inuili, atque ab eorum mente distorta allegatione. Secundò plurium Patrum & Conciliorum testimoniis. Concilium quippè Alexandrinum epist. contra Nestorium 10. inter Epistolas Cyilli Conc. Ephesin. tomo seu parte 1. cap. 12. Calcedon. act. 1. sub init. Constantinopolit. 2. quòd est generale §. collat. 6. post init. Contra Nestorium definiunt Christi humanitatem vnioni ad verbum minimè perdurasse: rationemque his verbis reddunt: *In ipso vtero carni vnitum (Verbum) sustentasse dicitur generationem carnalem, tanquam propriæ carnis generationem, propriam sibi faciens.* Leo Pap. I. epist. 11. decret. ad Iulian. eundem errorem in Eutychète damnans ait: *Non sic assumpta est (caro,) vt prius creata, post assumperetur, sed, vt ipsa assumptione crearetur.* Quæ verba sunt etiam August. contra Sermonem Arrianorum cap. 8. initio. Ioannes insuper Papa II. epist. 3. decretalium de duabus natur. ad Illustres viros Auentum Senatorem, & Liberium circa finem, quæ extat tom. 2. Decret. & tomo 2. Concil. part. 1. post eius vitam. & tomo 4. Bibliot. actandem tomo 7. Baronij anno 534. sic scribit: *Non autem existente carne, & postea vnita verbo sed ab ipso verbo initium, vt esset, accipiens ex materno corpore sumpsit initium.* Quibus consonat August. satis vulgatis verbis illis ex cap. 36. *Inde cepit, & inde incepit, & susceptione factus est.* Ex quibus ita Bernal sect. 2. §. 2. & 2. discursit: *Verbum sustentauit generationem carnis, atque natura humana coepit ex Verbo, siueque initium ex eo sumpsit, ipsaque assumptione creata, factaque est, ergo eius fieri est ipsissima vnio pendens à Verbo.* Confirmatur: quia hoc modo intellectis horum Patrum argumentis vrgentius refellitur error Nestorij, & Eutychetis asserentium præexistisse Christi humanitatem suæ assumptioni, & vnioni ad Verbum, si neque prius

prius natura extiterit ante suam vnionem ad Verbum humanitas, sed ipsa vnione, & assumptione fuerit producta.

2 Valde Metaphysicos vult hic Recentior Patres, & Concilia: maximè cum eius opinionis de identitate vnionis formæ cum educatione, cui tota hæc moles innititur, se inuentorem iactat. Porro Conciliorum & Patrum verba tunc rectè explicantur, cum eorum in illis proferendis institutum attenditur. Cum ergo solum contendant Patres humanitatem Christi suæ ad Verbum vnioni minimè præexistisse, eorum verba de similitudine temporaria, non autem naturæ, planius, plenius, sinceriorumque intelligenda sunt. Adde: ibi non dari rationem à Conciliis, & Patribus definiendi contra errorem, sed errore negato in antecedentibus, quæ breuitatis causa reticemus, asseritur immediatè opposita propositio: non quidem addita particula quia, quæ aliquod rationis in sequentibus subiungendæ vestigium, neque satis clarum, & firmum foret; sed addita, atque interiecta particula aduerlatiua sed. Ad hæc: non ea ex quibus certiori consequentia error conuincitur assumpta à Patribus ad illum confutandum dicenda statim sunt, si eius modi sint, quæ non satis firmitatis sed debilitatis potius habeant. Ecce in re præsentis bona consequentia contra Nestorium, & Eutychem foret: Humanitas Christi non existit formaliter, nisi per existentiam Verbi: ergo humanitas Christi nullatenus præexistit vnioni suæ ad Verbum. An admittat Bernal eam rationem, & confutationem erroris huius dignam Patribus, ab eisque assumptam in testimoniis citatis fuisse? Negabit ille quidem: quia illud principium Thomisticum exhorret. At verò eum sensum testimonia capiunt; plures item Patres, quos pro se refert Bernal, pluresque alij, quos statim referam ex VVadingo, aiunt humanitatem Verbo inexistere. Non ergo ex sola consequentiæ energia, sed ex firmitate etiam antecedentis bona, Patribusque digna erroris confutatio censenda est. Cum ergo tam sit debile principium illud de identitate productionis humanitatis dependenter à Verbo, cum vnione ad ipsum, vt iam ostendam, fusiùsque in Physices monstrari, ne velis illud à Patribus contra præfatum errorem assumi, ne solutiones faciles hereticis ministres.

3 Plures item Patres refert VVadingo asserentes humanitatem Christi Verbo inexistere, fuisseque ipsius instrumentum, à Verboque sustentari: plures etiam Bernal asserentes eandem fuisse acceptionem carnis, & conceptionem actiuam virginalem, vt loquitur sæpè Fulgent. de Incarnat. & gratia cap. 2. fin. cap. 3. initio cap. 6. ac de fide ad Petrum cap. 18. August. & alij. Sed illud de inexistencia humanitatis in Verbo, ac de instrumento factilem habent germanumque explicatum adhibendum cert. 5. pro opinione nostra. Extrema loca, cum ad idem institutum, atque prima prolata à Patribus sint, eandem explicationem habent fortassisque meliorem quæ sit. seq. dandam. Sed age iam sententiam istam rationibus reiiciamus. Rogo primò an actio hæc independens, vel dependens à supposito, substantia, vel accidens sit? actionem, quæ substantia sit nemo ferè hætenus nouit: quæ verò sit accidens, quo pacto substantiam inesse substantiæ, suppositiueque substantialis constituat & compleat? Vt, vel ipsi contra eos, qui substantiæ rationem in accidentibus aliis collocabant argumentantur. Secundò: quidquid de hoc sit, ad prædicamentum actionis pertinebit, si vere est actio: quare ex rebus diuersorum prædicamentorum vnium per se contra omnes Doctores constituetur. Contra tertio: quia formæ educio vnio ipsius ad subiectum esse non potest: cum vnio formalissimè vtrumque extremum supponat, educio vero alterum ponat, atque existere faciat, vt latius persequerbar in physice. Contra quartò: quia complementum actuale substantiæ, substantiæ existenti debet aduenire, sicut & accidenti existenti complementum ipsius: ergo substantiæ existentiam debet supponere

substantia, quæ ipsius complementum est: actio autem quæuis, siue pendens, siue independens à supposito, est naturæ substantialis positio: quare illam existentem supponere nequit. Neque assumptum Bernal sect. 1. §. 3. num. 33. Si enim omnium opinio creatio se ipsa ponit terminum independentem à subiecto, quin illum existentem supponat: cur actio independens se ipsa à supposito, seipsa etiam illum à supposito independentem non ponat, quin supponat existentem? Complect igitur actio illa independens naturam ipsam producendo, & producit complendo: sicut, omnium etiam opinio, Verbi productio ipsi realiter identificata productio, & personalitas, seu personale complementum ipsius est.

4 Caterùm exempla ad rem non sunt. Nam productionem passiuam personalitate Verbi contineri, actiuam verò Patris personalitate, imò eis, adhuc inadæquatè, constitui Patrem, & Verbum antiquiores, nec satis solidæ Theologiæ est, quàm multis, atque discursu hoc nostro imprimis discutimus controuer. de Trinitat. disput. 3. 6. & 7. Sed neque exemplum primùm est, aptius. Nam independentem à alio tanquam à causa ad idem signum pertinere debet, ad quod dependentia opposita: ergo, sicut dependentia pertinet ad signum actionis, quæ effectus existentiam non supponit, sed facit: ita & independentia ad illud signum actionis independentis debet expectare, ipsique actioni identificari: at modus existendi per se independentem à supposito, & non à subiecto, qui existentiam rei supponere debet extra omnes suas causas, opponitur formaliter modo existendi in alio, tanquam in supposito, qui modus vnione formaliter præstat, ad illud ipsum instans debet pertinere ad quod vnio ad suppositum aliud spectat: nequit autem vnio pertinere ad instans actionis productiuæ, quod est ante existentiam, effectus: ergo neque modus independentiæ à supposito pertinebit ad instans actionis, nec proinde; nec poterit cum actione identificari. Secundò: modus independentiæ, seu incommunicabilitatis alteri, vt supposito, est complementum actuale existentis per se: neque enim concipi potest actu completi rem non solum, quæ non existat, sed quæ non supponatur existens: quia nequit intelligi aduenire complementum actuale rei mere possibili, sicut rei mere possibili ipsius existentia & fieri intelligitur aduenire. Denique confirmatur assumptum ex Bernalis doctrina: ipse enim §. 4. n. 40. probat actionem productiuam vnionis continuatiuæ partiu materię per se pèdere à partibus materię, quia vnio, qui eius terminus est pendet à partibus materię: ergo de conceptu vnionis est dependentia à partibus, quas vnit: ergo, & supposito existentie earum erit de conceptu vnionis. Hæc omnia præ sua claritate, & certitudine probatione non egerit ait Bernal proximè num. 98. & bene quidem. Sed ex eis contra ipsum infero: ergo nequit realiter identificari vnio cum actione, quæ essentialiter extremum facit, ac non supponit.

5 Impugno quintò: vel illa dependentia actionis productiuæ humanitatis dependenter à Verbo dicit influxum Verbi in actionem, & humanitatem actiuam, aut receptiuum specialem, vel solum putam terminationem vnionis humanitatis ad ipsum, seu actionis, qua formaliter ipsi vnita humanitas producitur: vtrumque falsum: singulariter probato. Primùm contra VVadingo, qui prior rem hanc meditatus, admittit influxum specialem, propriumque Verbo, ac non communem Trinitati ad humanitatis vnice existentiam, quem passiuum, seu receptiuum humanitatis dicit dubio 4. citato §. 3. Id quod nihil inauditum continere præmiserat §. 2. num. 54. siquidem noster Granados r. p. quæst. 12. disp. 5. & 7. cuius personalitati diuinæ specialem influxum per modum speciei impressæ, præter generalem omnibus personis communem, in visionem beatificam concedit. Sed contra: quia specialis influxus personalis non bene sonat in Theologia: nihil enim

enim influxuum ad extra formaliter in Diuinis est præter omnipotentiam: sed personalitas formaliter omnipotentia non est: ergo neque influxuum ad extra est: Maior est axioma theologicum, quod Granad. abiicit, vt ex Thomastico præiudicio defenderet speciem Dei impressam creatam implicare contra communem sententiam, atque apertam Sancti Thomæ, vt latius ostendi in controuersis de anima controu. de speciebus. Contra secundò: quia in Deo nulla ratio assignari potest limitata, & qua maior in suo genere excogitari augeri possit: sed actiuitas illa personalitatis, siue ad visionem, siue ad sustentationem naturæ esset limitata in genere actiuitatis ad extra: ergo nequit in Deo assignari. Contra tertio: quia influxus ille, prout à Verbo, vel egeret formaliter influxus Dei generalis, vel non? Si non egeret: ergo daretur operatio ad extra specialis vnus personæ, nec toti Trinitati communis. Si egeret: ergo ea actiuitas esset formaliter subordinata causæ primæ, & vniuersali, indigâque inuamine alterius: quæ contradicunt actiuitati increatæ, vtpote imperfectiones creatorum agentium propriæ. Quod verò addit de materiali concursu, & receptione, magis adhuc dedecet Verbum, quod non minus intrinseca illa vnione sustentatiua, & receptiua mutaretur, quam materia educatione, & passione materialis formæ ex ipsa. Mitto illa que malam phylosophiam de materiali influxu in Vuadingo supponunt.

Decentius quidem, sed inconsequentius etiam, nostræ interrogationi respondet Bernal, qui secundum illius membrum elegit, negans expressè sect. 4. num. 98. speciem Verbi influxum, siue actiuium, siue receptiuum in humanitatem, eiusque actionem, solamque dependentiam humanitatis, & actionis à verbo, tanquam à termino vnionis, seu actionis admittens. Inconsequentius quidem loquitur. Cum enim ipse contendat sustentationem humanitatis à Verbo, atque inexistenciam ipsius in Verbo à Patribus assertam, non nisi per dependentiam, quæ fit diuersa ab extrinseca terminatione humanitatis, siue vnionis ad Verbum, intelligi posse, ad quid aliud dependentiæ à Verbo præter terminationem assignare debet in humanitate, eiusque actione: alioqui nil aliud, quam Doctores omnes dicit. Nam eam dependentiam latam, tanquam à termino, cui vnitur humanitas, omnes admittunt, & ipse ad Patrum locutiones adductas defendendas insufficientem appellat: ergo ipse, vel actiuam, vel receptiuam, vel aliam denique, quam nullus somnauerit, neque ipse explicet, dependentiam humanitatis à Verbo tenetur admittere. Ad hæc: in actione, qua actio est, immediata dependentia, siue à priori, tanquam principio per se requisito ad ipsam, siue à posteriori, tanquam ab eius termino intelligi nequit, nisi à principio efficienti, aut passiuo, vel ab effectu producto, quorum nihil est verbum respectu actionis productiue humanitatis: extrema enim vnionis principia immediata actionis non sunt, nisi vnionis ipsius sint vel subiecta, vel agentia tamen eorum existenciam requiratur vt sit vnio, ac proinde illa remotè actio vnitiua supponat.

CERTAMEN V.

Præcipuum, ac verum ex Patribus & Scholasticis substantiæ, & personalitatis iudicium.

Dicendum primò nobis est substantiam, prout substantiæ rationalium, & irrationalium, communis est, ab indiuiduo totali, & adæquato naturæ substantialis nullatenus differre: duòque proinde includere, & intrinsecum indiuiduæ naturæ, & extrinsecum negationis essendi partem. Probatur primo ex definitione personæ tradita à Boëtio, recepta à Patribus, propugnata ab scholasticis. Ea vero sic habet: *Persona est rationalis* R.P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

naturæ indiuidua substantia, atque vniuersa ius ex definitione suppositi, nempe: *indiuidua natura substantialis*, vbi per indiuiduam substantiam, siue naturam omnis communicatio, siue metaphysica, siue logica, siue physica negatur de persona: ac proinde duplex ille conceptus substantiæ singularis, & negationis essendi partem in alterius compositione apertè includitur: nam, quod pars indiuidui in aliquo genere est, simpliciter, & absolutè indiuiduum illius generis non est. Probatur secundò ex rationibus, quas Patres reddebant Nestorianis, & Eutyrianis contententibus in Christo personam humanam remansisse, si mansit natura humana singularis: quibus respondebant Patres non mansisse personam manente natura humana singulari: quia hæc non erat indiuiduum absolutè, siue totale, & adæquatum naturæ illius, cum esset in Verbo, vt pars componens. Audite præclara verba Sancti Theodori Cariensis Episcopi, qui Nestoriano cuidam ita respondebat tomo 9. Bibliot. *Nec satis est ad rationem hypostasis esse naturam compositam cum proprietatibus: sed oportet non esse partem. Quia igitur corpus animatum assumptum est pars Christi, idcirco non est hypostasis.* Eandem rationem reddunt Rusticus Diaconus tomo 6. Bibliot. nouæ, Athanasius in duce viæ cap. 2. Maximus episcopus ad Georgium, alique Patres, ex quibus nonnullos, dum pro maiori claritate partis essentiam explicem, recitabo. Est ipsissima Sancti Thomæ sententia in 3. distinct. 6. quaest. 1. art. 2. ad 5. vbi ait: *Hoc, quod facit coniunctum ex anima & corpore esse hominem, non est præter animam corpus, & vnionem esse aliquid positivè: sed ex hoc ipso, quod compositum ex anima, & corpore non adiungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur, quod coniunctum sit homo.* Unde si Christus humanam naturam, quam assumpsit, deponeret, ex hoc ipso esset homo illud coniunctum. Repetit 3. part. quaest. 2. art. 3. ad 2. sibi que constans q. 9. de potentia artic. 1. ad 4. scribit: *Substantia ex hoc dicitur subsistere, in quantum non est in alio, 1. contra Gentes cap. 25. Esse per se in substantia non videtur importare nisi negationem tantum: dicitur enim ens per se ex hoc, quod non est in alio.* Hinc, quia essentiam, & speciem cuiuslibet Angeli immultiplicabilem iudicat, ac proinde essentialiter indiuiduam docet: *in substantiis immaterialibus suppositum cum essentia est idem.* Quia vero pars physica esse potest, licet non metaphysica, subintelligenda est negatio assumptionis substantiæ spiritualis ab alia: eam quippe necessariam dixit ad rationem personæ Angelicæ Doctor Angelicus 3. p. q. 4. art. 1. vbi ait naturam Angeli assumptam à Verbo naturam fore, non personam; quia assumptione amitteret totalitatem.

Ex aliis huius sententiæ Patronos recensere longissimum esset. Nostræ Vuadigo disp. 4. de Incarnatione dubio 2. numero 47. ex antiquis à se attentè perluctos non minus triginta, & octo Doctrinibus refert, qui sine aliqua entitate superaddita indiuiduæ naturæ, sola negatione essendi partem suppositum; & personam constituent. Est expressa Scoti sententia in 1. distinct. 23. quaest. vnic. §. ad questionem, distinct. 25. quaest. vnica in 3. dist. 1. quaest. 1. art. 3. dist. 6. quaest. 1. & quodlib. 9. quaest. .... art. 3. Bassolidis in 3. quaest. 1. artic. 1. Maïron. quaest. 11. notabili penultim. Henric. supra citati omniumque Scotistarum, vt videre licet in Philippo Fabricio distinctionibus citatis. Insuper eiusdem Henrici quodlibet. 4. quaest. 4. Okam in 3. distinct. 1. artic. 3. column. 3. distinct. 2. quaest. 1. column. etiam 3. Gabr. ibidem artic. 1. sub init. & in 1. distinct. 23. quaest. vnica articulo 1. sine, & articulo 2. & 3. Neque aliud fortasse voluisse Durand. & alij relati certamine 1. pro prima; secunda, & tertia opinione. Ita etiam censebat Richard. citatis locis quaest. 1. cert. vltim. dum personam definit, *incommunicabilem existenciam*, quod sola negatione formalis coniunctionis habere potest, cum qua sola coniunctio absolutè pugnat. Ricard. etiam in 3. dist. 6. q. 1. Ex nouioribus ita expressè sentiunt Lelius Cæchus de Incarnat. cap. 2. Carbalus in 1. sentent. cap. 50. Canariensis

Canariensis q. 29. l. p. art. 4. ad 3. Molin. ibidem art. 2. disp. 3. column. 4. S. age, Vnadingo loco citato. Iure igitur optimo Recentiores Theologos miremur semper, numquamque demiremur, qui difficultati de personæ unitate, & pluralitate naturarum in Christo componendæ necessarios prorsus modulos suos perfectitatis venditarunt: cum, tunc etiam, quando bellum ab hæreticis in Ecclesiam ingrueret, ipsisque satisfieri opus erat, ac proinde Deus Patribus, & Doctoribus veritatem, & solutionem inspirare tenebatur, nihil patres de istis modulis cogitarint, neque in Scholis tot post sæculis fuerint auditi, sed solida ac vera hæc sua, nostraque doctrina ab huiusmodi difficultate se expedierint: & nunc (si Deo placet) cum, nec bellum in Ecclesia est, atque omnino enervata est difficultas, moduli isti pro lire quinquaginta ab hinc annis nati iam diu composita dirimenda otiosè, nostris Theologis illuxerunt; vel inde satis reiciendi, quod eorum explicatio adeò sit difficilis, vt illi planè succumbant ipsius defensores Petrus Hurtado, & nuper Ouiedo citato loco n. 18.

3 Sed explicari vterius oportet, quid in natura, seu entitate quavis partiali sit pars esse. Vulgo existimatur rationem partis actualis in actuali vnione ad aliud consistere; ego verò plura existimo vniri actualiter posse inter se, quin partes actu sint. Sic rebus diuersi prædicamenti vnio à Philosophis non negatur, & tamen negatur illis vnum per se constituere: ac proinde, & esse partes vnus per se. Si enim vnione illa actuali partes fierent, vnum per se proculdubio constituerent. Addit igitur ratio partis eius ab alio perfectibilitatem, in qua præter entitatis vnionem ad aliam, dependentiam ab vnione in sui existentia, siue actuali continetur, siue aptitudinali in partibus integralibus totius homogenei, quarum essentia, cum indifferens sit, vt partes sint, vel tota, earum existentia ab vnionis cum aliis existentia non pendet: quia earum essentia, & existentia illam determinatè non exposcit, sed disunctim, vel vnionem, vel eius negationem, seu totalitatem; in partibus autem essentialibus dependentia ab vnione actuali ad aliam compartem inuenitur, ita, vt natura sua in se esse nequeant quin alteri comparti vniantur, aliudque componant: quare neque exvnitè prorsus conseruari à Deo connaturali prouidentia possunt. Atque ea sanè facilissima ratio est, cur materia pura naturaliter sine omni forma nequeat in rerum natura existere. Cum enim iuxta naturæ suæ exigentiam connaturalem naturaliter existat, ac conseruetur, neque aliquid naturale sit, quod illius existentiam exposcat, vel tanquam agens, vel tanquam dispositio, sublata vnione ab omni forma naturaliter deficeret, cum essentia sua pars sit: ac non nisi libere ex fine alio ab eo, quo primò à Deo extiterat, perduraret: ac proinde ex vi decreti connaturalis, quo prius conseruabatur, abiret in nihilum. Quæ verò, nec partes essentiales natura sua sunt, neque integrales homogeneæ, sed natura sua sunt entia totalia, sicut natura sua ad componendum ordinata non sunt, ita independenter ab omni vnione existentiam suam habent; vnde quamdiu independenter ab vnione conseruantur, tandiu existentiam habent totalem; licet per accidens eorum entitatibus, atque existentis vniri inter se contingat, ex libera nimirum Dei voluntate, quæ ex alio fine producta, aut conseruata ad vnionem diuertit. Sin autem hæc eadem, quæ natura sua existere independenter ab vnione peunt ex libero suo decreto ita Deus producat, vt dependenter tantum ab vnione ad aliud existere velit, iam accidentaliter ad modum partium essentialium ex libera Dei voluntate existunt, partialemque subinde existentiam sortiuntur. Etenim, licet totales de se naturæ suppete ingenio, neque vnionem ad aliud exigant, quam potius exhorrent, neque indifferentes sint ad vnionem cum alio, in quo à partibus, etiam homogeneis, discordant; tamen capacitatem passiuam obedientialem habent, ad vnionem cum eo, à quo perfici diuinitus saltem possint, respectu cuius quid perfectibile, & partiale sunt; quia

verò vnionem cum illo nec determinatè, neque disunctim natura exigunt sua, vt partium instar essentialium, quas in compositione actuali imitantur, se gerant, dum actu componunt extrinsecos se Dei decreto inclinationem ad sui perfectiorem, atque vnionem cum ipso habere debent, recipiendo nimirum à Deo existentiam in ordine ad vnionem cum illo atque dependentem ab illa. Vel saltem ita à Deo donari illi existentia potest.

4 Dicit ergo, ad rem præsentem suppositum, seu persona præter intrinsecam indiuiduam naturam substantialis entitatem existentiam independentem, ex libero adhuc Dei decreto, ab vnione ad aliud; cui singulari naturæ, si ex decreto etiam Dei existentia dependenter ab vnione ad aliud contingat, sicut totalitatem amittit naturæ, & existentia suæ, sic, & esse suppositum, & personam perdit. Hinc factum humanitatem Verbo unitam, licet singularis manserit, non mansisse personam: quia ipsius existentia, licet ab existentia Verbi diuersa, non nisi dependenter ab vnione ad Verbum data illi fuit: quo, & totalitatem, & rationem personæ amisit. Hinc Patres de humanitate Christi p. s. sim aiunt: eam in Verbo existere, seu inexistere, atque à Verbo sustentari, & frequentius à Verbo assumptum esse. Ex præcisa enim formali vnione, sine humanitatis dependentia in sui existentia à Verbo, neque Verbo inexistere, ab ipsoque sustentari, & assumi dici rectè posset. Nam, sicut vnione formali non magis vnitur humanitas Verbo, quam Verbum humanitati, non esset cur humanitas potius Verbo inexistere, ab ipsoque sustentari, & assumi diceretur, quam contrà, Verbum ab humanitate. Ratio ergo harum locutionum apud Patres vulgariū est dependentia humanitatis in sui existentia ab vnione ad Verbum, à qua formaliter pars sit, personaque esse definit, desumenda est. Inde etiam lucem, quam ex hac sententia accipit, vicissim reddit sententia Sancti Thomæ (nescio an parum hætenus intellecta) 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. & art. 2. vbi ait Angelum præexistente vnioni, & assumptioni suæ ad Verbum corrumpi debere, si assumeretur: atque vniuersim personam quamuis præexistentem suæ assumptioni corrumpendam assumptione ipsa, non solum secundum personalitatem, vt falsè refertur ex artic. 2. (ecquid enim absurdi foret personam, siue personalitatem, si modus superadditus sit, assumptione eorum, & sequentibus casibus corrumpi?) sed secundum totum. De homine item præexistenti ad sui vnionem & assumptionem contendit fuisse corrumpendum esse, si vniretur 4. contra gentes cap. 43. Denique 3. p. q. 6. art. 3. insert contra Origenem, quod, si anima Christi duratione præexistens assumeretur, foret corrumpenda: quorum ratio ex dictis proximè facilis se dat. Etenim, si, vt Angelus, vel homo assumatur, partemque sui assumptione ad Verbum fiat, opus est, vt cum assumitur, atque, vt pars illi vnitur, dependenter ab vnione ad Verbum existat, & conseruetur; vt autem existat seorsim, atque vt totum, opus est, vt eius existentia independenter prorsus ab vnione ad aliud producat: indiuidua, quæ, vt tota præxistit, atque ex vi decreti sibi connaturalis existentiam primo acceperunt, partemque prorsus debent, quando assumuntur: quandoquidem cum decreto assumptionis, quo datur eis existentia dependenter ab vnione ad Verbum, nequit decretum, quo primo extiterunt independenter ab vnione illa consistere.

5 Hinc etiam constat, cur Verbum vnitum humanitati Christi rationem personæ non amittat, licet in ratione vniti, tam strictè humanitati vnitum sit, quam humanitas sit vnita ipsi. Cum enim existentia Verbi adhuc vniti independentes omnino intrinsecè, & extrinsecè ab vnione ad humanitatem sit, à qua perfici nullatenus potest, etiam cum vnione existentiam totalem conseruat: ac proinde, & est indiuiduum substantiale adequatum, adhuc cum suo modo componit: quare, & est perfectè in ipsa compositione persona. Ex quibus tandem constat quæ consonet doctrina nostra altissimo mysterio Trinitatis, seu

seu trium personarum diuinarum in unitate essentia. Ibi enim personalitates sunt, quasi indiuiduantes differentie vnus, ipsique communis naturæ diuinæ, quæ, quæ ratione communis est, licet singularis metaphysicè sit, non tamen est perfectè, & omnino indiuidua, & singularis omni genere indiuiduationis & singularitatis, vt profunde satis obseruauit Richardus Victor. 4. de Trinit. cap. 23. in it. Nam omnimoda indiuiduatio, & singularitas omnimodam dicit proprietatem, atque omnem prorsus communitatem, siue physicam, siue logicam, siue generis cuiusuis alterius excludit: singularitas autem naturæ diuinæ secundum se communitatem omnem non excludit, cum sit personis tribus physicè, seu quasi-physicè communis: ac proinde perfecta & omnimoda singularitas ipsius non est; quouique singularitati personalis reuincitur. Sicut ergo indiuiduanti differentia quauis diuinæ integrum completum, ac perfectum indiuiduum independentem in sui existentia ab vnione ad alterum confurgit: ita & indiuiduum quauis differentia diuinæ naturæ adiuncta integra, ac perfecta confurgit persona: ac pro triplici vltima indiuidui differentia, quæ in diuinis reperitur, triplex in diuinis reperitur persona. Quæ in re inter personas creatas, & diuinas hæc differentia reperitur quod nimirum creatas naturas metaphysicè indiuiduas, quia omnino singulares sunt, sola independentia sui in existendo ab vnione ad aliud vltimo formaliter personas constituit; contra verò cum natura diuinæ, & quicquid diuinum est, essentia sua habeat existentiam independentem prorsus ab vnione ad aliud, atque ex alia parte natura diuinæ non habeat omnimodam singularitatem; quæ omnem communitatem excludat, singularitate vltima & omnimoda, quam illi affert proprietatis personalis vltimo formaliter in personam confurgit.

6 Dico secundò. Ad rationem personæ supra independentiam in sui existentia ab vnique ad alterum requiritur, vt indiuiduum rationale plenum, atque absolutum sui dominium vnionis iure non amittat, neque speciali titulo ratione vnionis ab alio regatur, sed sit independentem, etiam in operando. Ratio est, quam eleganter attingit S. Thomas citatus q. cert. 2. vt explicaret, quare hypostasiss, quæ in tota sua latitudine suppositum significat, semper à Patribus pro persona vniuerse dicitur: quia nimirum, inquit, Sanctus Thomas, in rationali natura duplex modus essendi per se inuenitur: alter in essendo, seu existendo, communis scilicet ipsi cum irrationalibus substantiis: alter verò specialior naturæ rationalis, & nobilior modus essendi per se est in operando, scilicet cum pleno dominio suarum operationum: ac proinde indiuidua rationalia, sicut duplici titulo, altero que præstantissimo per se sunt, ita principaliter, & antonomasticè dicuntur supposita, nomenque commune cum propria personalitatis nomine confundunt. Sicut ergo Filius, quamdiu sub potestate parentis est, nec dum emancipatus, pupillusque sub potestate curatoris non dicuntur per se esse, viuere, & operari ciuilitate, & moraliter, sed ex alterius persona patris, vel curatoris, penes quem ciuilibus autoritas, & potestas actionum suarum est: ita humanitas, seu indiuiduum quoduis rationale assumptum physica vnione ad Verbum, cum vnionis iure illæ indiuidua regere, & gubernare Verbum teneatur, & non nisi ex Verbi auctoritate, & potestate operari assumpta illa indiuidua debeant, esse per se in operando moraliter dici nequeunt, sed in persona Verbi cuius auctoritate, regimine, ac potestate necessario sunt operatura. Huc facit quod ex Paschasio & Conc. Francofordiense referrebamus q. 1. cert. 2. n. 1. sine & n. 2. per totum: concedentes enim substantiam à substantia consumi non posse, negabant hæretico contententi inde, & neque posse consumi personam, quæ substantia est, à persona alia ex præcisa vnione: quare mansisse in Christo personas duas: rationes; sic Paschasius, & Patres Francofordienses dedebant Personam siquid res iuris est; id est ciuilem potestatem, atque auctoritatè plerumque; dominium suum actionum independentem à persona, & auctoritate alterius importat.

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

7 Nec refert Nestorium hanc gubernationem naturæ humanæ Christi Verbo non negasse: sicut neque negabat vnionem affectiuam specialem Verbi ad humanitatem Christi, siue ad hominè Christum: Nam vnio affectiuæ solum verbi ad humanitatem, siue personam Christi gratuita omnino erat, neque in obiectiuo aliquo debito, & iure nitebatur, quæ nec desinebat plenum dominium, & auctoritatem suarum operationum in Christo, ac proinde neque humanam ipsius personam, quemadmodum, qui amici operæ ex speciali affectu dirigit, & gubernat, rerumque ipsius curam gerit, non statim personam propriam auctoritatem destruit in amico. Posito autem vnionis physice Verbi ad humanitatem titulo vnionis ipsius iure, cura, & gubernatio humanitatis, actionumque eius penes Verbum est, ipsique incumbit. Quod si Nestorius recognosceret, non errasset: cum, & vniam tantum personam iure vnionis physice, & regiminis fateretur, vnumque tantum naturale suppositum recognosceret, vnionemque physicam, & realem Verbi ad humanitatem, ex qua vnitas suppositi, & personæ in Christo proueniebat non negaret: quæ duo tantum pro Ecclesiæ pace admitti à Nestorio & affectis petebat Cyrillus relictus q. 1. Sic ergo intelligendus est Imperator Iustinianus edicto fidei relato à Vasq. disp. 15. c. 2. n. 29. damnans afferentes vnitè esse Verbum eadem auctoritate, & virtute, non vnione. Confirmatur tandem ex Damasc. lib. quomodo ad imaginem Dei facti sumus, concl. 2. sic enim ait: Verbum cum naturam assumeret, hominis autem hypostasim non coniunxit, ne naturæ humanæ voluntas, quæ naturæ attribuitur, uolitione, quæ hypostasim attingit, à diuinæ voluntatis prescriptione discederet, sed & sponte paveret in omnibus. Sic ad Verbum vertendus est Damasc. iuxta Perionij accuratam emendationem, doctamque illustrationem datà à nostro Bernal disp. 26. sect. 2. §. 1. quasi diceret Damasc. assumptione ipsa uolitiones naturæ creatæ penes diuinam Verbi personam moraliter, & auctoritatiuè erant vnionis iure: ac proinde ipsam attingebant aquæ, atque attingerent creatam, si eas non autem diuinæ, adesset persona: Non igitur inquit Damasc. assumpsit, neque assumere potuit personam humanam Verbum; cum assumpsit naturam; Etenim sequebatur naturam assumptam, sine Verbi indecentia peccare potuisset: cum ex propria auctoritate operari posset, si propriam personam haberet. Quare inquit? quia, subintelligit Damasc. persona dicit plenum sui dominium, & auctoritatè in operando sine dependentia ab alterius auctoritate, cui operationes moraliter, & ciuilitate tribuantur, ac defectus in eis imputentur: ac proinde, si Verbum personam assumeret, non solam naturam, posset quidè naturam humanam Christi peccare, sine indecentia Verbi in eius peccato: quod est alterum caput impeccabilitatis naturæ humanæ Christi absque persona à Verbo assumptæ.

8 Hæc porro doctrina de substantiis omnibus, & suppositis etiã spiritualibus intelligenda est, cum etiam de illis assumi à Verbo potuisse testetur Paulus ad Hebr. 2. ubi amoris fauorique Dei erga homines tribuit, quod nusquam Angelos apprehendit, sed suam Abraham apprehendit. Quæ de apprehensione per vnionem assumptiuam humanitatis ad Verbum Patres omnes intelligunt: Græci adhuc, qui de redemptionis etiam apprehensione illa interpretantur. Et quidè, cum propria apprehensio seminis Abraham, id est gentis Iudeorū, siue Hebræorū, ab Abrahamo progenitæ in apprehensione per physicam vnionem ad Verbum humanitatis Christi fuerit impleta (nam apprehensio per redemptionem solum ad homines seminis etiã alterius pertinuit) negari prædicta expositio, & sensus minime potest. In ea vero apprehensione, & assumptione Angelica à Verbo per physicam vnionem, quam Paulus possibilè prædicauit dependentia Angeli in sui existentia ab vnione ad Verbum importatur; iuxta dicta à n. 14. & deinceps confirmata. Quo circa reprehendus merito vocetur Oniceo n. 19. tū quia ex loco Pauli recitato putat distinctionem naturæ Angelicæ à sua personalitate ratione modi positiuè superadditi deduci, cum tamen sine illo modo superaddito assumptio esse posset modo explicato in Angelo: tum etiam quia num. 18. affirmat

dari posses substantiam spirituales à sua personalitate indistinctam. Cum enim ex dictis constet personalitatem propriam consistere in existentia individui rationalis independentem ab vnione ad aliud, atque in quavis substantia, siue spiritali, siue materiali possit Deus existentiam ponere pro suo arbitrio, & voluntate dependentem, vel independentem ab vnione ad aliud, non potest non ea negatio dependentiæ diuersum. Quid esse, in substantiis etiam spiritalibus, ab earum substantia, & existentia. Reprehendus denique est quod num. 17. dicat ex distinctione personalitatis ab humanitate, quæ composita substantia materialis est, male inferri distinctionem personalitatis ab Angeli naturâ: supponens nimirum distinctionem naturæ à personalitate provenire ex prædicato substantiæ compositæ. Id quod ex doctrina tradita de substantia, quæ æquum habet locum in substantia simplici, atque in composita satis impugnat. Deinde cum ipse contiou. 5. phys. punct. 5. n. 2. doceat posse dari substantiam materialem simplicem, & incompositam perperam in suo hoc principio docuit vniuersaliter substantiam quamuis materialem à sua substantia distingui, cum ratione simplicitatis, & incompositionis substantiis spiritalibus in distinctionem à suis personalitatibus contingere aliquando posse docerit.

## CERTAMEN VI.

*Obiectionum solutio.*

**N**estorij, & Euthichetis argumenta, tum ex Patribus, tum ex nostræ doctrinæ exploratione prorsus euauerunt. Leuiores quædam dirimenda supersunt. Argues primò: Personalitas, & persona humana consumpta, & destructa est à persona Verbi in Christo, vt aiebant Paschasius, & Concilium Fransfordiense: atque negatio nequit destrui, & consumi ab alio, cum se ipsa negatio destructa sit: ergo personalitas humana (& idem est de aliis) non consistit in negatione, qua compleatur in esse totali, siue totius, natura indiuidua substantialis. Respondetur negando minorem. Tempores enim, ratioque totius, pluraque alia, quæ in negatione vnionis, & additionis alterius entitatis consistunt, sola vnione, & additione alterius entitatis formaliter destruantur: imo non aliter destrui negatio potest, quam perpositiuum illud, cuius negatio est: sicut, neque positiuum destrui formaliter sine sui negatione potest. Neque de nomine certandum nimis est an scilicet negationes strictè destrui, atque consumi per suos habitus dicenda sint: cum de re conuenitur. Dices secundo, & lenius, de eodem inuariato intrinsecè duplex contradictorium verificari in nostra sententia: scilicet de indiuidua substantia intrinsecè inuariata verificari, quod sit persona, & quod non sit persona: hoc autem videtur absurdum: quod scilicet prædicatum substantiale cuiusmodi est persona, de eadem substantia inuariata affirmari, negarique possit. Respondetur negando absurdum aliquid contineri in antecedenti: quid enim mirum, si ad rationem personæ nihil intrinsecum requiratur in natura substantia indiuidua, sed sola negatio independentiæ ipsius in sui existentia ab vnione ad aliud, vt hactenus ostendimus, sine vlla intrinseca variatione naturam indiuiduam substantialem personam esse, cum eius existentia independentem ab vnione ad aliud ponitur, ac non esse personam, cum ponitur dependentem ab vnione ad aliud ipsius existentia: Vnde negandum est prædicatum personæ esse formaliter adæquatè substantiale, sed solum substantiale quoad fundamentum adæquatè, & quoad formalitatem substantiæ, & personalitatis inadæquate solum esse substantiale prædicatum quatenus, scilicet, dicit singularitatem naturæ substantialis, non autem, quatenus dicit independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud.

2. Obiicies tertio. Persona Verbi assumptione humanitatis suppleuit eius personalitatem: ergo creata personalitas humanitatis est aliquid positiuum, neque solum negatio dependentiæ humanitatis in sui existentia ab vnione ad aliud. Patet consequentia: quia negatio dependentiæ humanitatis in sui existentia ab vnione ad aliud, nequit suppleri vnione, & personalitate qua destruitur. Sicut dici nequit albedo supplere negationem, aut priuationem sui, sed potius illam destrueret. Et confirmatur à priori: quia supplere est defectum alicuius replere, ac vice alicuius poni. Respondetur totum hoc argumentum ad inutilem quæstionem de nomine redigi. Certum est ex Patribus, & aduersariis Verbi persona destrui suo modo, & consumi personam humanam Christi: certum item est quæcumque contrariis pro contrariis suppleri, id est, illorum loco subrogari, licet alia ab aliis destruantur. Quid ergo mirum, si negationem suppleat habitus, quo destruitur ipsa: supplet quidem habitus, qui formaliter negationem pellit, & nobilior sane, cum negatio, & priuatio ignobiliores suis habitibus sint. Et vero, cum indubitata Sancti Thomæ doctrina sit, Angeli substantiam ab Angeli natura totali & indiuidua non distingui: atque ex Paulo item certum sit potuisse assumi à Verbo naturam Angelicam, v. g. Raphaelis, quod ibi iuxta Sanctum Thomam Verbum suppleret, eodemque modo, in humanitate, quam assumpsit de facto suppleuit. Instabis: Indignum esse Verbo negationi substitui. Negamus tamen, si cum excessu perfectiōnis substituat, non autem cum æqualitate. Æqualitas enim substituentis cum substituto imperfecto substituentis imperfectiōnem conuincit; excessus autem substituentis perfectiōnem ipsius commendat. Adde non minus dedecere infinitam Verbi perfectiōnem substituire modo positiuo creato, quam negationi: si enim ex substitutione proportio aliqua substituentis, & substituti imperfectiōne conuincitur, non minus dedecet Verbum imperfectiōne limitata, quàm nulla.

3. Obiicies quarto: indiuidua natura rationalis connotata negatione vnionis ad aliud formalis est personæ: ergo idem prorsus est naturam humanam Christi esse vnitam formaliter Verbo, atque non esse humanam personam: ergo, definita semel in Concilio Ephesino Canone 2. vnione humanitatis Christi ad Verbum, superflua, & ridicula tot patres in eodem Concilio can. 3. iterum desunt in Christo non mansisse personam humanam: actum quippe prorsus agunt. Sic insultanter obiectat Cardinalis Lugo disp. 12. de Incarnat. sect. 2. n. 12. Respondetur cum Vvadingo Concilia eandem obiectam veritatem pluribus decretis merito definire. Cum enim variis vocibus, & propositionibus hæretici catholicorum corda tentantes venenum idem ipsis propinent: totidem vocibus, & propositionibus à Patribus & Conciliis errores damari, & veritates catholicas statui oportebat. Sic eadem huius mysterij veritas per sex, & septem canones, aliis, atque aliis subinde vocibus, & propositionibus definitur in Concilio lateranensi sub Martino V. & ferè canonibus omnibus quinque synodi generalis: sicque accidit in Concilio Ephesino citato non solum duobus illis canonibus (in quibus solum definitur physica, nec solum affectiua vnio humanitatis ad verbum, teste Cyrillo Alex. apologia pro iisdem contra Theodoret. cuius testimonium conuincit cum Concilio illud nihil aliud sit quam anathemastimorum dogma decem Cyrilli receptio) secundo, & tertio sed ferè in omnibus concilij ipsius. Atque hic præter vnionem dependentiam humanitatis ab illa in existendo asserbatur.

4. Obiicies quinto: Inferitur ex nostra doctrina posse vni duo indiuidua substantialia, quin vlla in eis persona maneat. Nam ponamus Petrum, & Paulum vni, atque vtriusque existentiam conseruari à Deo dependentem ab vnione mutua: tunc indiuidua natura Petri, & Pauli pars formaliter vnaqueque est: ergo neutra esset persona. Inferitur in super vtraque posse perseverare personam, quin vnio physica obstit, si vtraque independentem ab vnione

vnione ad alterā in sui existentia vnita conseruaretur à Deo: tunc enim neutra amitteret totalitatem indiuiduæ naturæ substantialis iuxta nostram doctrinam. Item, si altera ex illis existeret independentē ab vnione, altera vero dependenter ab vnione ad illam, vna esset persona, alia vero fecus: quod videtur absurdum: cum æqualis perfectionis sint, neque appareat ratio, cur alteri debeat præualere. Respondetur, si naturæ creatæ natura sua totales altera alterius perfectiua esse possit, quod non disputo modo, sed sic argumenta suppono, consequentias hæc certissimas esse, totamque earum doctrinam profus catholicam, & quæ nihil absurdi in Philosophia, vel Theologia contineat. Quidquid enim non repugnat componere, vt partem, atque dependenter à compositione existere, pro Dei libito componere potest vt patet.

5 Instabis adhuc inferri ex hac doctrina posse esse physicam vnionem, & quidem formalem, inter duas naturas substantiales specie diuersas, saltem per diuinam potentiam. Vnde rursus infertur Hyrcocæruum, atque Hypocentaurum, similisque chymeras non esse entia rationis; quandoquidem natura æquina & humana, earumque vnio, à quibus Hypocentaurus nihilo differt, entia possibilis sunt in nostra doctrina: hoc autem est contra omnes philosophos. Respondetur Hyrcocæruum, hypocentaurum, & similes chymeras esse entia rationis, & chymeras exemplariter, non formaliter apud Philosophos. Sunt enim res, quibus licet possibiles absolute sint, explicant, atque imaginationi proponunt rem non nisi per earum species perceptibilem: nempe identitatem realem hominis, & equi, quæ quidem impossibilis est, & chymera. Quod autem vnio illa physica non sit chymera in Hypocenturo, sed coniunctio diuinitus possibilis ex eo satis patet, quod eiusmodi impossibilitatem ostendendæ non pauci Doctores insudauerint, quin apparentem adhuc repugnantiam vllam hæcenus ostenderit: imo in arbore partim arida partim viridi sæpe contingere reor.

6 Dices vltimo: vnio humanitatis ad Verbum facta est in persona non in natura: ergo personalitas de suo conceptu distinctum aliquid formaliter est à natura. Probo consequentiam: Si enim indistincta formaliter est à natura: ergo nequit esse vnio ad personam, quin sit ad naturam. Insuper, si personalitas constituitur negatione dependentiæ in sui existentia ab vnione ad aliud indiuiduum, nequit vnio humanitatis ad personam Verbi terminari. Patet: quia, vt supra contra Scotum arguebamus, vnio realis, & physica nequit ad negationem terminari? Respondetur ad primum ex data doctrina Richard. supr. personalitates in diuinis diuersum quid formaliter esse ab indiuidua suo modo natura: quia natura secundum se præcisè perfectè indiuidua non est: cum secundum se sit communicabilis: ac proinde sicut singularitate cuiusque personæ vltimo, & perfectè indiuiduatur, ita etiam in ratione personæ constituitur: nam independentiam in sui existentia ab vnione ad aliud ex prædicato entis diuini habet. Hinc ad secundum dicito in diuinis independentiam ab vnione ad alterum in sui existentia tam naturæ, quam personalitatis intrinsicam, & essentialē, ac proinde positivam esse, licet negatione, sicut aliæ perfectiones diuinæ positivæ à nobis explicentur: quare rectè posse ad hanc independentiam Verbi vnionem humanitatis terminari, eaque dependentiam eius humanitatis ab alio suppleri: quare, & personalitate Verbi humanitatem subsistere. In creatis vero res aliter accidit: cum earum existentia essentialis suā independentiam ab alio non sit, sed profus à Deo dependens, quæ vt pote liberum agens, ex hoc, vel illò sine potest eis existentiam tribuere.



QVÆSTIO III.

De subiecto subsistentiæ, & personalitatis, eiusque diuisibilitate.



X dictis constat quamuis substantiam singularem, quæ totalitatis explicatæ fuerit capax, subiectum subsistentiæ esse optimè posse, an verò partibus substantiæ singularis, v.g. Petri, & Bucephali subsistentia assignari, vt componentibus, vel vt separatis possit? quæstio est prærens.

CERTAMEN I.

Partes indiuidui substantialis subsistentiam non habent.

1 SOAR. citatus ab Ouidio Ethic. punct. 4. num. 8. & 11. partes quasuis indiuidui substantialis, etiam cum illud actu componant, subsistentias partiales habere docuerunt. Soarium sectantur plures Caiet. 3. p. q. 6. art. 6. & Albertin. citatus alia longè via partium compositi subsistentias defendunt. Afferit primus solum animum rationalem subsistentiam habere, qua tota etiam humanitas subsistat. Secundus verò docet solum materiam in compositis materialibus subsistentiam habere, qua tota ea composita subsistat. Quæ de partium subsistentia cum Soar. Doctores isti affirmant statim impugnabo. Nunc vero eorum doctrinam specialem cum alia eorundem, vel etiam cum fidei mysterio, non consistere sic ostendo. Vterque enim docet solum posse verbum substantiæ illi immediatè per se, & ratione sui vniri, quæ de se, & ratione sui subsistentiam habet. Ergo Verbum per se, & ratione sui animo rationali tantum fuit vnitum, non toti humanitati secundum partem vtramque in sententia Caietani, quod est absurdum. Nisi enim Verbum per se, & ratione sui vtrique humanitatis parti vnitum esset, non erat cur in triduo mortis materiæ vnitum permaneret. Infero secundò contra Albertin. Ergo Verbum in tua sententia non fuit sanguini toti, ac secundum vtramque sui partem immediatè per se, & ratione sui vnitum, contra tuam, & veram doctrinam. Patet: siquidem sanguinis forma materialis est, & quæ in tua sententia subsistentiam non habet.

2 Lugo citatus sect. 3. num. 39. docet animam separata subsistentiam habere: denique de materia prima vi consequentiæ docere tenetur. Scotus verò citatus cum suis animæ, & materiæ, tam in statu compositionis, quam separationis subsistentias negat. His assentit Vasq. 1. p. d. 135. cap. 4. & 174. ac 39. tom. 1. d. 2. & quicumque de ipsius censentur doctrina. Porro de statu compositionis nescio quo pacto Suar. salua doctrinæ consequentia formis materialibus subsistentias concedat: cum asserat subsistentiam esse modum, quo substantia independens sit ab alio siue subiecto siue supposito, negarèque nequeat formas materiales à materia, cum qua totum componunt, tanquam à subiecto educationis, & inhaesionis pendere, quare de his cum non loqui certum mihi est, sed falso vniuersim citari. Secundò: quia, tam ipse quam Ouidio, alique omnes, qui subsistentias modos esse postueros aiunt, illis substantiam compleri, terminarique vltimo affirmant: ergo nequeunt non subsistentiæ modum vltimo loco substantiæ affigere, atque partibus, quæ natura, & causalitate totum præcedunt, denegare. Nec minus inconsequenter Scotus, & Vasquez loquuntur de statu separationis.

Scotus, quia in eo statu, tam anima, quam materia negationem vnionis ad aliud suppositum habet, quo tota ratio subsistentiæ continetur. Vsq. verò, quia vtrique, vt sit positiuè separata à supposito alio suus perfectiatis modulus adiungendus erit: sicut naturæ toti ex ipsorum arbitrata adiungitur. Nec refert inferri inde animam, & materiam in statu separationis dicenda esse supposita atque animum rationalem personam. Sed quid ad nos? Si ex aduersariorum doctrina inferatur? Secundo non inferitur: sunt enim quædam nomina, quæ præter formam determinatum subiectum important. Ex quibus non sine Patrum, & Scholasticorum fundamento suppositum, & persona dici possunt. Sicut enim symus, & symitas præter curuitatem nasum designat: sic etiam suppositum præter perfectiorem naturam integram, & personam, rationalem etiam, dicitur designare.

3 Dico primò partes compositi substantialis in statu compositionis subsistentias non habent. Probo: Subsistentia, ac personalitas idem sunt quod totalitas indiuiduæ naturæ: Sed nulla pars dum actu formaliter componitur habet subsistentiam. Maior probata est q. 2. cert. 5. minor est ex terminis nota, & consequentia legitima. Dices animum rationalem, & materiam humanitatis Christi assumptam à Verbo per se fuisse; nihil autem per se assumi potest à Verbo, quod non habeat subsistentiam: ergo animus, & materia humanitatis, dum in ipsa sunt, habent subsistentias. Concessa maiori nego minorem. Ostendam enim q. 4. plura quæ subsistentia non sunt assumi à Verbo posse. Dices secundo: Totalitas naturæ substantialis per nos consistit in independentia in sui existentia ab vnione ad aliam substantiam; sed animus rationalis, & materia prima non pendunt in sui existentia ab vnione inter se se, cum vtrique vnione cessante perseveret: ergo vtrique habet totalitatem substantiæ, quod ipsum de partibus totum homogeneum integritibus dictum puta. Respondetur ad hoc extremum de partibus integritibus iuxta dicta q. 2. cert. 5. num. 3. earum essentiam à possibilitate vnionis pendere quam petunt, si se tangant: quare connaturalem earum existentiam in eo casu ab vnione esse. Licet, quia indifferentes sunt ad vnionem, & separationem ex vnione, & disunctione non pereant, quia titulum habent, & naturam, qua separatim existere petant, æque, atque coniunctim. Ad illud de materia prima quæ pars essentialis est constat etiam ex eodem numero ab vnione cum aliqua forma pendere, licet ex nulla forma educatur. Illud de animo rationali iam fere est solutum: est siquidem essentia sua pars: ac proinde ante instans vnionis non produci catholicum est. Pythagoricæ Fabulæ de animorum transmigratione, atque Origenis erroris de præexistentia animi Christi ad vnionem oppositum. Quod autem in statu separationis sine vnione vlla conferretur nihil probat; separatus enim animus modo minus connaturali est: de se enim vnionem petit perpetuam, licet extrinsecus impediatur, vt ex nostro Soar. & S. Thom. videbimus statim.

4 Dico secundo: animus separatus, adhuc in eo statu separationis, subsistentia non habet. Probat: quia, licet in eo statu habeat existentiam independentem ab vnione ad alterum, non autem ita connaturalem, vt connaturalior non sit existentia dependenter ab vnione, quam essentia, & existentia ipsius requirit: cum sit essentialiter ex prædicato differentiali pars cui totum esse repugnat, quomodocumque ei existentia à Deo donetur: ac proinde, quæ hoc prædicatum sequuntur magis connaturalia ipsi sunt: ergo ea independentia ab vnione connaturalis animo non est. Antecedens est S. Th. 1. p. q. 29. & q. 81. artic. colligiturque ex q. 26. art. 1. ad 6. ex q. 4. de spiritualibus creaturis art. 5. & art. 2. ad 5. & q. 5. de potent. art. 1. ad 5. ex q. 4. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4. d. 49. qq. 1. art. 1. quæstiunc. 1. vbi docet animum separatim appetere naturam suam vnionem, quam doctrinam sequitur Suar. lib. 6. de anima cap. 9. concl. 4. n. 6. & cap. 10. concl. 1. n. 2. Quia inquit, vel reuisionem à corpore expetit cum ea per accidens à contrariis d. structa est: non quidem eo modo,

quo nunc ex gratia, & respectu finis supernaturalis fit; sed in ordine ad finem naturalem totius hominis, qui bene vel malè operatur: ac proinde ad Deum, vt naturæ auctorem expectat animum corpori reuine, vt homo naturali suo fine potitur, quæ consonant iis quæ latè Suar. idem differit 3. p. tom. 2. d. 44. sect. 7. & tract. de beatitud. d. 4. sect. 2. concl. 3. & prolog. 4. de grat. cap. 2. Vel quia natura humana ad eam perfectam est, vt nequeat sine gratia, & gloria tota eius capacitas expleri, ac proinde reuisionem animus ipsius, eo etiã modo, quo fit ad finem supernaturalem, natura sua exposcat, licet ultra naturalem prouidentiam is finis positus sit. Denique probatur vrgentius conclusio; quia in eo statu exist. n. t. animæ independentem ab vnione ad materiam subsistentia, adhuc partialis non est, cum alteri parti non adiungatur, atque statim cum adiungatur amittitur: totalis autem esse non potest, cum naturæ totalis non sit.

## CERTAMEN II.

*Subsistentia pro materiali quandoque diuisibilis est, pro formali semper.*

1 Dico primò subsistentia, & personalitas pro materiali, siue proximo, siue remoto quandoque partibus constat, quandoque non constat. De materiali remoto negari à sano Philosopho nequit. Est enim substantia indiuidua secundum intrinsecum, quæ aliquando composita, & diuisibilis est, vt in homine, ligno, &c. aliquando indiuisibilis, vt patet in Angelo. De materiali proximo non est adeo facilis conclusio: atque in opinione de modis superadditis subsistentiarum nihil firmum pro alterutra parte post multam alterationem afferri inuenio. In nostris vero principiis facile probatur. Si quidem, vbi indiuiduum subsistens indiuisibile sit, negatio dependentiæ sicut & dependentia ipsius indiuisibilis erit ex parte subiecti proximi, scilicet existentie ipsius. Si autem indiuiduum sit diuisibile ex parte subiecti proximi diuisibilis subsistentia erit. Probat: quia totum substantiale nihil aliud est, quam materia, & forma simul: ergo, & ipsius existentia nihilo ab coniuncto existentie earum differet. Pergo: ergo dependentia causatiua existentie totius erit coniunctum ex dependentiis earum: ergo negatio dependentie totius ab vnione ad tertium erit negatio dependentie partium, & vnionis ab vnione ad aliud: ergo ea negatio dependentie est diuisibilis, & compacta ex independentiis partium, & vnionis simul ab vnione ad aliud tertium. Confirmatur: quia negatio dependentie totius ab vnione ad aliud est negatio dependentie, quam de facto haberet, si esset in alieno supposito; at hæc non esset alia dependentia, quam coniunctum dependentie partium simul (neque enim totum aliam dependentiam habet, quæ totum indiuisibiliter dependeat) ergo negatio dependentie ab vnione ad aliud tertium diuisibilis erit, ita vt in quavis dependentia partiali partis compositi sit partialis negatio dependentie ab vnione ad aliud, quod pars compositi non sit. Si autem dicas esse negationem alterius dependentie, quæ totum indiuisibiliter dependet ab vnione ad aliud, & rem difficilem assumis, & tuo intento inutilem.

2 Vtrumque breuiter ostendo. Primò enim adstruis duplicem dependentiam totalem eiusdem effectus, vtriusque opinionem, impossibilem, vt alteri natura substantialis hypostaticè vnatur: imò quæ hæc indiuisibilis dependentia totius naturæ substantialis essentialiter compositæ inperceptibilis est: Secundo adstruis doctrinam ad rem præsentem inutilem: Nam probabis inde negationem dependentie ab vnione ad aliud pluribus constare partibus, quam contra te contendimus: scilicet: negatione dependentie partium à prædicta vnione, & insuper negatione dependentie indiuisibilis, quæ totum existere per te potest. Nam posita ea negatione dependentie indiuisibilis totius ab vnione ad aliud, nisi adsit etiam negatio

CERTAMEN I.

*De necessitate, & oppositione substantiae propriae cum aliena.*

gatio dependentiae partium, quare nec totum profusum independens suppositum, & persona non remanet. Insuper posita independentia partium ab vnione ad tertium in sui existentia in quavis substantia composita suppositum, & persona de facto constituitur: ergo in ea diuisibili independentia totius naturae compositae stat ratio formalis substantiae: quare adueniente negatione dependentiae indiuisibilis nihil ad suppositum confertur, quod negatione dependentiae diuisibilis non praestaretur naturae. Confirmatur: quia de facto dependentia diuisibili partium humanitatis assumptae ab vnione ad Verbum effecta est humanitas Christi, tota dependens ab vnione ad Verbum, destructaque fuit humana substantia, & personalitas, vt constabit ex dicendis controu. 1. de Incarnat. ergo ea diuisibili independentia, qua independens ab vnione ad tertium foret, nisi assumere, constitueretur suppositum, & persona humana.

3 Dices: independentia substantiae indiuiduae compositae ab vnione ad aliud per se immediatè competit toti: ergo licet totum cuiusque existentia diuisibilis sit, independentia est indiuisibilis. Consequencia videtur certa. Antecedens probatur. Partes compositi (v.g. forma, & materia) dependent altera ab vnione ad alteram adiuuicè: ergo independentia in vtriusque existentia ab vnione in illis non est, ac proinde solius est compositi. Respondetur negando antecedens, & concessio probationis antecedenti distinguendo consequens: non est independentia ab vnione ad aliud, quod pars compositi non sit: Nego consequentiam; quod pars compositi sit, concedo consequentiam. Haec autè independentia ad suppositi, & personae rationem non requiritur: quandoquidem natura composita substantialis nequit esse sine suarum partium mutua dependentia in existendo: requiritur autè, quod vtriusque pars non dependeat ab vnione ad aliud tertium: Si enim vtriusque in sui existentia ab vnione ad aliud tertium dependeret, cum totum ex illa resultans nullam aliam existentiam, dependentiamque habeat praeter existentiam, & dependentiam vtriusque partis simul, non posset esse in sui existentia ab vnione ad aliud independens. Instabis: ergo si forma tribuatur existentia dependenter ab vnione à duplici materia, vel materiae dependenter ab vnione ad duplicem formam, neutrum ex compositis subsisteret, consequentia conceditur. Nam posita dependentia partis vnius independentia totius, quae ex vtriusque partis independentia constat, vt diximus, stare absolute non potest.

¶ Dico secundò: Substantia creata formaliter sumpta, siue independentia naturae substantialis in sui existentia ab vnione ad aliud semper est diuisibilis. Dixi de creatura: nam increata cum in positiua, & intrinseca independentia omnimodae singularitatis diuinae consistat, dubium esse nequit, quin indiuisibilis sit, partibusque careat. Probatur facile conclusio, quia cuiusque substantiae singularis, etiam simplicis, vt Angelicae, dependentia in existendo ab vnione ad aliud potest esse multiplex propter, à quarum vnione dependere in sui existendo pro Dei voluntate potest multipliciter: atqui sublati reliquis dependentiis à pluribus rebus, positaque sola dependentia substantiae illius ab vna ex illis rebus, substantia illa suppositum non esset: ergo ratio suppositi constat formaliter ex negationibus omnibus omnium dependentiarum, quas in sui existentia habere potest natura substantialis ab vnione ad alia: ac proinde independentia haec ab vnione ad aliud, qua suppositum, & persona constituitur, non est vnica, & indiuisibilis, sed plures, siue ex pluribus independentiis formaliter diuersis constata.

Q V A E S T I O I V .

*De necessitate, oppositione, atque efficienti causa substantiae.*

¶ Cuiusmodi haec omnia, quia & in vnum coacta vix iustam explebunt quaestionem.

1 Dico primò: Substantia non adest necessariò cuius substantiae creatae singulari, secus diuinae. Patet ex dictis. Cum enim substantia diuina sit singularitas vltima naturae quasi physicè còmunis, ipsique identificata, atque existentia ipsius existens, tam est necessaria in natura diuina substantia, atque ipsa diuina natura necessaria in se est. De creatura etiam constat ex dictis. Possunt enim duae indiuiduae substantiae produci à Deo dependenter ab vnione inter sese vicissim: quo in casu vtriusque necessariò amitteret totalitatè, quare & substantia. Dices: ergo, si substantia singularis produceretur à Deo dependenter ab vnione ad accidens, non esset suppositum, amitteretque substantiam? siquidem amitteret totalitatem aequè, ac si produceretur dependenter ab vnione ad aliam naturam substantialem. Respondetur primò negando consequentiam: quia non amitteret totalitatem substantiae, siue substantialem; siquidè tertium resultans ex vnione ad accidens, dependenter à qua tunc substantia singularis existeret, substantia non esset: ac proinde ad illud substantia singularis non se haberet, vt pars substantialis, sed vt substantiale totum, vt patet. Respondetur secundò, licet non ad eò verè admittendo consequentiam ingenij gratia in qua nullum apparet inconueniens.

2 Obiicies tamen contra secundam hanc solutionem: ergo nulla substantia singularis suppositum, & persona est: id quod non nisi temerè, & fortasse erroneè admitti potest: cum inde fiat personam humanam in Christo sui assumptione ad Verbum consumptam non fuisse: siquidem quod persona aliàs non erat, in ratione personae destrui, aut consumi à Verbo minimè potest. Probatur consequentia illa: quia substantia quaeuis, vt connaturaliter existat petit productionem, & vnionem suorum accidentium, & proprietatum ad se ipsam: ergo nulla substantia est connaturaliter independens ab vnione ad sua accidentia: at per te ob dependentiam connaturalem substantiae in sui existentia ab vnione ad accidentia amittitur totalitas substantiae, & substantiae formalis: ergo nulla substantia singularis habet substantiam, ac proinde nec de se se suppositum & persona est. Respondetur diuersum modum esse connaturalitatis, in essendo, atque in operando. Substantiae igitur singularis vnionem, & productionem priorum accidentium petit, non vt in se connaturaliter sit, sed vt operetur: quare connaturalitas, quae ipsi perit est in operando, non in essendo, & existendo. Cum enim substantia singularis secundum suam existentiam reali naturae prioritate ad proprietates suas existat, ac decernatur, nequit ipsius existentia proprietatum, & suae vnionis ad ipsas decerni, sicut in casu illo extraordinariae prouidentiae, qua substantia dependenter ab vnione ad accidens ali-quod produceretur: quare in casibus instantiae non amittit substantia singularis totalitatem in essendo, sicut in illo, ac proinde neque substantiae rationem.

3 Dico secundò: substantia propria ita pugnat cum aliena, vt neque diuinitus, in eadem substantia singulari componi possint. Tuentur conclusionè omnes, excepto Bernal d. 24. sect. 2. §. 1. qui modalibus reliquis cernebat acutius. Locus autem Damasceni, cui praecipue innititur, explicandus à nobis est q. 2. cert. 5. Dixi modalibus reliquis acutius cernere Bernalem, dum à communi hac conclusione desecit. Si enim substantia, & personalitas in positiuo superaddito constituantur, nunquam ostenduntur repugnantis in eo, quod vnio, & communicatio substantiae singularis sic modificata cum alia, modificata etiam substantia singulari repugnet. Nos autè facili negotio conclusionem probemus. Quia substantia dicit formaliter negationem dependentiae ab vnione ad aliud, cui contradicit dependentia quaeuis substantiae singularis ab vnione ad aliud: cum autem substantia aliena subsistere

tere sit habere dependentiam ab vnione ad aliud, implicat vtramque substantiã in eandem singularem substantiam coniungi. Probatu[r] insuper: quia Concilia, & Patres inferunt humanitatem Christi non subsistere propria substantia, quia habet alienã diuinã, siue quia est in alio, scilicet Verbo: ergo substantia propria, & alienã pugnant inter se; alioqui malè agerent Patres destructionem substantiæ propriæ, & personalitatis in humanitate Christi ex assistentia, & coniunctione personalitatis alienæ Verbi in humanitate eadem.

4 Dices bene inferri à Patribus destructionem personalitatis in humanitate Christi ob personalitatem alienã Verbi, qui vnitur ratione pugne naturalis, quam substantia propria, & aliena habet: quare inde non probatur vtriusque substantiæ implicatio, & contradictio absoluta. Contra: quia, vt bene Bernal, substantia aliena, supernaturalis cum sit, alteriusque ordinis, quam propria, non pugnant naturaliter, sicut nec temperantia infusa, & intemperantia acquisita. Secundo: quia, cum substantia aliena, quam non exigit natura substantiæ singulari præbetur, si habeat propriam non fiet contra, sed iuxta exigentiam naturæ: ergo expulsio alienæ substantiæ non est connaturalis. Dices non esse quidem contra exigentiam naturalem substantiæ singularis persistentia substantiæ propriæ, cum adest aliena, sed contra exigentiam substantiæ alienæ. Contra: quia ea exigentia, & repugnantia debet esse ratione incapacitatis, quam habeat singularis substantia vtriusque substantiæ simul: si enim capax de se vtriusque sit simul, nullatenus altera exiget expulsionem alterius: cum autem de ea incapacitate non constat, neque consequentia Patrum firma omnino, & absolute esse poterit, nisi admitatur repugnantiam hanc substantiæ propriæ cum aliena absolute contradictionis esse. Recurrit Bernal ad suam doctrinam de identitate actionis, & vnionis hypostaticæ à nobis impugnatam q. 2. cert. 4.

### CERTAMEN II.

*De oppositione substantiarum alienarum, atque efficienti causa substantiæ.*

1 Dico tertio: Substantiæ alienæ inter se se minime pugnant. Ab hac conclusione Modales omnes abhorrebunt. Probatu[r] facile: quia produci, aut conseruari dependet ab vnione ad vnum non pugnat cum productione eiusdem substantiæ dependet ab vnione ad aliud, sed solum cum productione independentem ab vnione quauis. Dices primo: ergo eadem natura possent plures personæ constare, etiam in creatis. Fateor. Nihil enim absurdi est id fieri per vniones, dummodo non fiant per identitatem. Dices secundo: ponamus produci à Deo substantiã dependentem à duplici vnione ad duas naturas adæquatè ab altera; tunc cuiusnam substantia subsistet substantia illa? non enim subsistet substantia alterius naturæ, cum vtrique adæquatè innitatur; sed neque subsistet in vtraque natura, siue eius supposito simul. Cum enim duplex substantia sit vnum suppositum nullatenus constituetur vtraque. Respondetur eandem difficultatem esse si modis superadditis constituetur suppositum. Etenim si natura vnione indiuisibili duplici supposito vnitur, eadem profus consequentia fiet. Respondeo pro omnibus, duplicem naturam substantiæ esse posse vnice sustentare, & suppositare substantiam singularem, vnumque suppositum constituere: nam licet respectu naturæ propriæ substantia quauis adæquata sit, faciãtque adæquatè suam naturam independentem, alienam autem non nisi inadæquatè constituit, dependentemque ab alio, existentem in alio, ac sustentatam ab alio facit.

2 Fateor ex creatis non posse substantiam alienam alicui substantiæ provenire. Licet enim dependentia à natura alia possit dari, in qua substantia dependens sustentetur, propriamque substantiam amittat, nequit tamen substantia à negatione dependentiæ in sui

existendo, quam altera habet, vnionem que ad eiusmodi negationem in sui existentia pendere: vnio enim substantiæ ad negationem dependentiæ, que in altera est omnino est impossibilis, vt patet: nam vnionis extrema necessaridè debent esse positiua: vt autem aliena substantia naturæ alterius substantia aliqua subsisteret, oportebat dependere in sui existentia ab vnione ad substantiam alterius, quæ in creatis negatio illa dependentiæ ab vnione ad aliud reale formaliter est: implicat ergo substantiam substantia aliena creata subsistere. Licet enim ex decreto Dei dependenter ab vnione ad naturam, quæ suppositum sit, possit substantia produci, atque in illa sustentari non autem in supposito, quia suppositum realiter formaliter est: ac proinde neque substantia aliena poterit sustentari. Sed inquires: tunc substantia illa non habet substantiam propriam; quia non habet existentiam per se, siue independentem ab vnione ad aliud, cum eam habeat dependenter ab vnione ad naturam, quæ suppositum est: ergo habebit substantiam alienam, quæ nulla alia esse potest nisi naturæ illius, cui vnitur. Respondetur facile non esse opus, vt substantia singularis substantiam habeat aliquam, vt propriam, siue alienam; potest enim pars esse, vt in casu præsentis, sicque amittere cum totalitate effendi personalitatem propriam, atque non vniri substantiæ formali alienæ ob rationem datam.

3 Dico quarto: Substantiæ de se totalis substantiam solus Deus causat impropridè efficienter negatiuè. Solus enim Deus libera voluntate sua naturæ legibus soluta potest eam producere dependenter ab vnione ad aliud: quare liberæ remotioni decreti Dei de eius productione dependenter ab vnione ad aliud ea negatio dependentiæ debetur. Substantiæ de se indifferentis, vt pars vel totum sit, illud erit efficiens proximum, quod fuerit proximum efficiens aut conseruans vnionis partium, quibus totum integratur: ac deinde Deus erit efficiens negatiuè, quatenus totum; e.g. aquam, non producit dependenter ab vnione ad lignum, vt nuper dicebamus. Proclive hæc est definire an substantia indiuidua eadem, vel diuersa actione cum propria, & cum aliena substantia, vel sine illis conseruetur? In sententia de modis superadditis eadem omnino semper actione conseruabitur. Cum enim modus perfectissimus, vel vnionis diuersa actione, atque substantia ipsa, conseruetur, licet actio perfectissimis, vel vnionis pereat, substantiæ productio permanebit, cuius oppositum inconsequenter ad suam doctrinam docet Albert. n. 7. In nostra verò sententia dicendum est substantiam in eis casibus eadem actione produci, & conseruari. Vt enim contra Arrubalem & Herico ostendimus latè in physicis actiones non specificantur ex fine operantis: ergo eadem actione, qua substantia producitur independentem ab vnione ad aliud in sui existentia, poterit produci ex fine actualis compositionis; siue dependenter ab vnione ad aliud, hoc est, vel cum substantia propria, vel cum aliena.

4 Ex hæctenus dictis constat, quam inutiliter Vallius de prædicamento substantiæ q. 3. Albert. d. 3. q. 1. longissimam questionem de distinctione primæ, & secundæ substantiæ, atque huius à supposito instituit. Primam substantiam definiuit Arist. *Quæ neque in subiecto aliquo est, neque de subiecto aliquo dicitur*, scilicet prædicatione formali, & directæ, secus materiali, & identica, atque indirecta. Potest enim dici: Petrus est Petrus; & hoc album est Petrus. Vnde substantia secunda erit, quæ prædicatione formali, & directæ prædicatur, scilicet in quid, ac non, vt forma metaphysica, quæ metaphysicè in subiecto est: ac proinde solum genus, & species secundas substantias esse Arist. asseruit. Dicitur autem prima substantia, quia in se ipsa primò subsistit; secunda verò quia non nisi ope intellectus abstrahentis ac proinde secundariò. Constat etiam indiuiduum, substantiamque à supposito quoad intrinsecum, & positiuum nullatenus differre; sed solum quoad extrinsecum negatiuum dependentiæ ab vnione ad aliud, in qua totalitas, & quod idem est personalitas, siue substantia consistit, vt diximus.

CONTRO